



# De servo hominis arbitrio, et conversione ejus per Dei gratiam adversus synergiae adsertores

<https://hdl.handle.net/1874/406609>

4

*Rec.*

# DE SERVO HO=

*MINIS ARBITRIO; ET*  
*CONVERSIONE EIVS*  
 per Dei gratiam aduersus  
 Synergiae adser-  
 tores,

Autore  
*D. TILEMANO HES-*  
 hufio.

JOHAN: I.  
 Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex  
 sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex vo-  
 luntate viri: sed ex Deo nati sunt,



*MAGDEBURGI*  
 Ex Officina Typographica Vuolff-  
 gangi Kirchneri, Anno  
*M. D. LXII.*



# AMPLISSIMIS ET

ORNATISSIMIS VIRIS ERV-

ditione, virtute, & sapientia præstantibus, Do-

minis Consulibus & Senatoribus inly-

tæ vrbis Lubecæ, Dominis re-

uerenter colen-

dis.



ALVS A FILIO DEI. PRAECLARO  
beneficio adfecta est Ecclesia Dei anno superiore ab  
inlyro Senatu Lubecensi, & cæteris gubernatori-  
bus Saxoniarum ciuitatum: quorum consilijs, ope-  
ra & authoritate effectum est ut Synodus Lunebur-  
gensis indicetur & harum Ecclesiarum Pastores,  
ad deliberationem de conseruanda doctrinae puri-  
tate, & ad dijudicationem earum controuersia-  
rum, quæ hoc tempore plurimorum conscientias irretitas tenent, conueni-  
rent.

Ac decet omnino ut omnes addicti ueritati hanc laudabilem uo-  
luntatem, & sanctum studium, quo sapiens & pius magistratus totius Ec-  
clesiae saluti recte consuluit, erroribus perniciosis uiiam præclusit, turbatas  
conscientias cruduit, Reipublicæ pacem muniuit, & toti posteritati pluris-  
imum profuit, gratis pectoribus agnoscant, ac celebrent. Nullum est enim  
admirabilius decus, nullus Deo gratior cultus, nulla sublimior uirtus in  
bono & sapiente magistratu, quam affici cura Ecclesiae, & ardere zelo  
tuendi ueritatem, & diligenter prouidere, ne per blasphemæ dogmata san-  
ctum Dei nomen obscuretur, subditorum æterna salus impediatur, & Reia-  
bus: tranquillitas conturbetur: sed potius omnibus uiribus anniti, ut con-  
troversijs legitime, iuxta diuini uerbi normam dijudicatis, pura & synce-  
ra Euangeij doctrina populo tradatur, & ad omnem posteritatem trans-  
feratur. Atq; h̄us officij admonuit politicos gubernatores Spiritus Dei,  
cum eis Augustissimo titulo Deos adpellauit.

Psal. 52.

Vt in alijs quoq; Principes & politici gubernatores à Deo  
in Germania excitarentur, qui hoc laudabile & præclarum exemplum ins-  
clyti Senatus Lubecensis & reliquarum Saxoniarum urbium imitaren-  
tur, ita, ut conuocatis Ecclesiarum doctoribus curarent controversias de  
dogmatibus examinari, & legittimis iudicij certamina dirimi. Non est  
enim alia uel expeditior, uel certior ratio componendi dissidia de dogma-  
tibus, reprimendi impetum fanaticarum opinionum & restituendi concors-  
diam docentium, quam per pias & legittimas Synodos: in quibus vox dis-  
tina præsideat, & amor ueritatis & sincera libertas, non sophistica neg-  
tyrannis colligat suffragia.

Hanc uiam ipse Spiritus sanctus nobis monstrat, 1. Corint, 14. Proph-  
etæ duo aut tres loquantur, cæteri dijudicent. Si autem sedenti reuelat-  
um fuerit taceat prior. Utq; monstrarunt, ita & ipsi Apostoli hanc via-  
m sunt secuti, quoties dissidia de dogmatibus turbas Ecclesiæ pepererunt.  
Testis est Historia, quæ Act: 15. describitur. Cum enim Pharisæi qui  
dam conuersi ad Euangelion Christi contendenter, nisi quis iuxta legem  
Mosis circumcidetur, non posse eum saluari, conuenerunt Apostoli ad  
dijudicationem huius controversie, & reiecto errore quid sacrae Scriptura  
ræ consentaneum esset explicuerunt. Apostolorum exemplum imitati  
sunt docti & pij Episcopi & Pastores Ecclesiarum, quoties dissidia de dog-  
matibus sunt exorta, Atq; etiam sapientes Imperatores, Constantinus, Theodo-  
sij, Marcianus, qui recte & grauiter iudicarunt, nō posse melius dissidia  
tolli ex Ecclesia, quam publicis iudicij in quibus ueritas collatis sententijs  
inquireretur.

Etsi autem non statim huiusmodi concilijs sublata sunt certamina,  
neq; dogmata falsa poenitus extincta, hoc tamen inde habemus, quod scia-  
mus quid syncerior Ecclesiæ pars de articulis fidei senserit, quomodo Her-  
eticorum sophismata sint refutata, quibus testimonij pij Pastores ueram  
sententiam muniuerint. Nec sane dubium est, quim blasphemii Heretici  
corum errores & longe plures essent, & diutius durassent, & plus Eca-  
clesiae nocuissent, si Pastores & politici gubernatores huiusmodi examina-  
na & iudicia uel intermissent uel impediuissent.

Quia

Quia ergo nunc paſſim p̄eopſter a ſapientia humana, aliae ten-  
tantur uiae, regia illa & que diuinitus monſtrata eſt neglecta, tantum  
abefit ut ſpes aliqua de errorum extirpatione, & pacis publicae reſtitutio-  
ne adfulgeat, ut quotidie ante oculos & numerus Sectarum augeatur, &  
pula dogmata incrementa ſumant, & ueritas magis obſcuretur, & uolu-  
tatum inter docentes maiores fiant diſtractions. Ac posteritas p̄cipue  
dama atrocia, quæ ex omiſſione iudiciorum proueniunt, ſentiet, ac cum in-  
genti gemitu deplorabit: dum controuerſiarum ingentem molem, ab hac  
etate accipiet, & tamen in multis iuftas cenzuras deſiderabit. Eſi enim  
de plerisq; dogmatibus multorum extant luculentæ expositio-  
nes, & ple-  
reg corruptelæ à uarijs ſcriptoribus refutatæ ſint: tamen multo rectius  
eruditet posteritatem, ſi in aliqua frequente Synodo communi conſenſu ex  
errores pernicioſi diſerte refutarentur, & ſolida confeſſio abſq; omni diſ-  
ſonantia, & improprietate ederetur.

Minus autem mirandum eſt, quod pleriq; politici gubernatores à  
conuocatione Theologorum abhorrent: Pauci enim inter eos magnitudi-  
nem rerum, de quibus diſceptatio eſt, intelligunt: ideoq; minus adſciuntur  
cura tollendi diſſidia: Ac quia ſepe experiuuntur in iſtiusmodi conuenti-  
bus, non ſolum non penitus extingui errores, uerum etiam ſepe magis gli-  
ſcentem ignem prauorum hominum pertinacia & contentione inflamma-  
ri ſatiuſ eſſe putant, non mouere camarinam: quod tamen politicoř con-  
ſilium non ſatis pia prudentia regitur. Nam ueritatis illustratio, ſemper  
anteponenda erat externe concordiae & ſimulationi coniunctionis. Quid  
nero etiam Theologi, qui intelligunt quantum ſit ſitum in recta dogmatum  
explicatione, quorum munus eſt dare operā ne dubia confeſſio ad posteri-  
tatem mutatur, ſed multo magis ut omnibus blaſphemis refutatis incor-  
rupta Euangelij doctrina per orbem luceat, & conſcientiae certam habeat  
infidelis regulam, diſſuadent Synodorum conuocationem & principibus  
infillant non minus periculofum eſſe Synodum iſtituere, quam bellum in-  
choare, id profecto non caret prodigio, neq; ullis coloribus excusari aut  
pingi potest. Quum enim de ijs rebus, que ad gloriam Dei, & totius Eccle-  
ſie ſalutem pertinent oriuntur diſſidia, & multorum conſcientiae impli-

cantur, multorum mentes inficiuntur, & uniuerso regno Christi struuntur  
insidie, annon necessarium est, ut intricatae quæstiones inter Pastores exaz-  
minentur, ueritas inquiratur, rudiiores instituantur, & præstigiatorum so-  
phismata detegantur: Si quis imaginatur perinde esse qualemcumque senti-  
entiam in disputatione de religione amplectaris, & præstare multo magis ut  
ipsa certamina silentio obruantur, quam ut inquisitio ueritatis animi homi-  
num exacerbetur, næ ille ab Epicuri religione non multum abhorret.

Si quis etiam sic putat posse consuli Ecclesiæ, ut omnes disputationes  
reprimantur, & utriq; parti silentium mandetur, & sibi persuadet hoc  
modo errores extirpari, & ueritatem posse conseruari falsa sese lata  
expectatione. Non enim extinguntur blasphemie nisi expresi uerbi dia-  
coni testimonijs conuincantur: Neq; conscientijs firma securitas præstatur,  
nisi ueræ sententiæ fundamenta ex sacris monstrarentur literis. Pessime itaq;  
faciunt siue sint Theologi, siue politici, qui pios & salutares congressus  
Theologorum dissuadent uel impediunt. Magna autem suspicio est eos  
ipsos Theologos, qui à Synodorum conuocatione abhorrent suæ cause plæ-  
ne diffidere & lucem fugere. Si enim profitentur ueritatem, cur non ex-  
petunt Synodos quasi theatrum in quo suam demonstrent innocentiam &  
sanam doctrinam: præsertim cum sciant fas non esse ut alius quifflam  
præsideat causarum cognitor, quam qui pollicetur se iuxta prescriptum  
Dei uerbum pronunciatur. Si uerentur ne causa bona impiorum suæ  
fragis & clamoribus obruantur, cogitare debebant, ueritatem aliquan-  
diu labore posse, sed uinci non posse: Et illustrem ueritatis ad-  
sersionem, & commodum Ecclesiæ pluris semper faciendum esse, quam no-  
stram incolumentem.

In eo autem multo magis suum aduersus ueritatem odium homi-  
nes fanatici produnt, quod non solum gubernatores politicos à conuo-  
catione Theologorum deterrent, uerum etiam, si quos Dei spiritus ex-  
citarit ut Ecclesiæ cura tangantur, & legitima controversiarum diju-  
dicatione erroribus fores præcludere conentur, eos conuicijs incessere,  
& omnium turbarum causam in eos conferre non dubitant. Quæ atrox  
conuictus

contumelia, non tam sapientes gubernatores, & pios Pastores, quam ipsam Dei maiestatem ledit. Eius enim consilio & mandato obtemperatur cum salutares conuentus religionis tuendæ causa instituuntur.

Vt ergo me ab istis lucifugis, & ueritatis osoribus quam longissime seiungam, palam laudo & admiror sapiens factum incliti Senatus Lubecensis, & reliquarum ciuitatum Saxoniarum, quod ante annum conuocatis Pastoribus iusserunt declarari controuersias, que hoc tempore turbant pitorum conscientias. Utq; constet orbi quam non potenterat me isti Synodo intersuisse, etiam deinceps offero me uniuersae Ecclesiae Dei, & si quando frequentior Synodus a multarum Ecclesiarum gubernatoribus instituerit, me omnino paratum fore ad reddendam rationem de meis scriptis, ac de toto cursu & laboribus meæ uocationis. Nec me terrebbit confirmante me spiritu Dei, aduersariorum meorum uel potentia, uel authoritas. Atq; hanc ipsam ob causam hunc libellum, in quo controuersiam de defectu uirium humanarum, in Synodo Luneburgensi dijudicatam aliquanto fusius explicavi uestræ Amplitudini dedicare uolui, ut testarer hac significatione me grato pectore agnoscere uestrum præclarum beneficium, quo non solum Saxonicas, sed totius Germanie Ecclesias, atq; uniuersam posteritatem nobis deuinxit, cum uestra prudentia, pio zelo & autoritate effecisti, ut Luneburgi Syndicus indiceretur: utq; uestram amplitudinem adpellarem atq; monerem licet id sponte sitis facturi, ut articulorum Luneburgensium, que exakte congruunt cum scriptis Propheticis & Apostolicis, cum confessione Augustana, & cum schmalkaldicis articulis defensionem arg patrocinium aduersus liuidos obtrectatores & petulantes sophistas suscipiantis.

Clarissimo etiam & amplissima dignitatis uiro, Domino Doctori Hermanno Vecheldio, urbis uestræ Syndico, pro illa illustri pietate & zelo sincero, quem in Synodo Luneburgensi demonstrauit, ubi excellenti beneficio uniuersam Saxoniam perpetua gratia debitio ne sibi deuinxit, eo ipso quod corruptiarum perfidiam & omni ambiguitate carentem condemnauit

damnationem & ueritatis planam adsertionem, sapienter & constanti iudicio ursit, inulum me debere perpetuo fatebor. Atq; optandum esset certos quoq; iurisconsultos pari pietate esse imbutos, ut ueritatis conseruationem & Ecclesia incolumentem omnibus rebus huius uite anteponent: consilia omnia ad normam diuini uerbi reuocarent, & reipublicæ pacem ex pio consensu in doctrina Christi fluere statuerent. Quod cum hic Vetus etdius euidenter demonstrarit, insignem laudem ad omnem posteritatis memoriam duraturam est meritus.

Quod ad hunc meum libellum attinet, scripsi eum meo periculo, & iudicium permitto Saxonicis Ecclesijs. Hoc uere adfirmare possum, deinceps me operam, ut quanta posset a me fieri perficitate, perplexam & grauem quaestionem euoluerem, & solida uere sententia fundamenta ex sacris literis ostenderem, & Synergistarum sophismata refellerem. Si ergo hic meus qualiscunq; labor alicui profuturus est, is mecum gratias Deo dicat, qui spiritu suo hanc explicationem suppeditauit: sicubi uero minus Lectori satisfactum est, peto, ut quis prius me ex uerbo Dei certiora doceat, qua præcipiti temeritate sententiam non intellectam condemnnet.

Postremo reuerenter peto ut meam uoluntatem uestra Reipublicæ & Ecclesiæ promptam esse statuatis: utq; de hoc meo labore ex uerbo Dei caudide iudicetis. AEternum patrem Domini nostri Iesu Christi, qui ideo filium constituit Mediatorem, ut sibi in genere humano colligat Ecclesiam ardentи pectore oro, ut uestra Reipub: statum incolumem seruet, & faciat ut in his Saxonicis urbibus sint tranquilla hospicia sanctæ Ecclesiæ & sincere ueritatis. Bene uate. Magdeburgi Anno 1562, die Solstitij aestiu.

Amplit: & Prudent: V.

Reuerenter colens

Tilemanus Heshusius Theol: Doct: & Superintendens Magdeb:  
DE SER:

# DE SERVO HO- MINIS ARBITRIO: ET CON- VERSIONE EIVS PER DEI GRA- tiam aduersus Synergiae adser- tores.



AGNI MOMENTI CON-  
trouersia est, quæ de vi mentis huma-  
næ, & voluntatis libertate erga res di-  
uinas agitatur: Ac omnibus ætatibus  
in Ecclesia Dei difficiles & acres de ea  
disputationes extiterunt: Non quod  
ea in scriptis Propheticis & Apostoli-  
cis non satis accuratè explicata, aut vera sententia, quam  
sequi oporteat, minus euidentibus rationibus evicta &  
comprobata sit: Si enim pars vlla Christianæ religionis  
expresse reuelata, copiose exposita, studiose repetita, &  
argumentis validissimis munita, & demonstrata est, hæc  
est in primis. Atq; id tanto magis oportuit, quia ad  
veræ religionis cognitionem: & beneficiorum Christi  
perceptionem, primus gradus est, defectum humanarum  
virium probe intelligere, & fauciæ animæ triste vulnus  
prope intueri.

Verum humani ingenij petulantia, vt cætera om-  
nia, quæ ad religionem & hominum salutem spectant:  
ita hanc quoq; summe necessariam doctrinam, tot pere-  
grinis disputationibus admixtis obscurauit, tam miris la-  
byrinthis inuoluit, totq; sophismatis adeo perplexam  
reddidit: vt rudioribus ac minus exercitatis difficile sit

A statue:

statuere, quæ sententia in hac controuersia, sacræ scripturæ & diuinæ patefactioni sit consentanea.

Cum igitur nunc quoq; hæc grauis controuersia de virib; humanis in rebus spiritualibus, acriter disceptetur: Ac error perniciosus, qui homini mortuo & peccati seruo tribuit liberum arbitrium in rebus spiritualibus, multas scholas & Ecclesiæ inuadat, & nostro quoq; cœtui minitetur: Omnim; vero fidelium ministrorum verbi officium sit laborantí veritati succurrere, & præstigij ac corruptelis obuiam ire: Statu me non inutilem Ecclesiæ præstiturum laborem; si hanc controuersiam, quo ad eius fieri potest, & Dominus Iesus iuuabit dilucide explicauero. Nisi enim pernicioſa illa erroris Pelagiani semina mox comprimantur & extinguantur, metuendum est, ne ea producant zizania, quæ vniuersam segetem diuinæ promissionis de gratuitta peccatorum remissione suffocent. Ex his enim insidijs ſæpius adortus est Euangeli; veritatem fæluitis humanæ communis hostis: dum generis humani tristes miseras subdole extenuat, & mentem humanam ipso ortu arrogantem, falsa persuafione de reliquij virorum humanarum inflat ac confidentem facit: Deinde vero nebulas obducit promissioni gratuitæ, & hominem falsa ſui confidentia elatum in desperationis præcipitia deſicit. Si quis retro Ecclesiæ tempora repeat animo, mox inueniet, satanam perpetuo longam errorum telam hinc texuisse, postquam concessum est ei, ut doctrinam de humanis viribus deprauaret.

Clemens & Origenes vicini admodum temporibus Apostolorum, qui liberi arbitrij defensionem quali funda-

fundamentum sive doctrinæ ponunt, passim non solum stipulas, ligna, & palcas, sed venenata zizania multa exædificant: atq; eo tandem suo perducuntur arbitrio, vt & legis doctrinam, in ethica Philosophorum precepta transforment. Euangelij vero promissionem quæ est omnium consolationum & salutis nostræ fons vnicus, tantum non humanæ rationis fragmentis, & erroribus tanquam cœno obstruant.

Pelagius quoq; Brito, qui nimia admiratione liberi arbitrij semetipsum fascinavit, & Ecclesiam grauiter turbauit eo velaniæ tandem delapsus est, vt non solum Lægum & Euangelion confunderet, peccati originis contagia negaret, salutem æternam hominum meritis adscribet, & vniuersam vim, & precium sanguinis Christi elidet, verum etiam furiose contenderet hominem in hac miseria, posse si velit & vniuersæ satisfacere legi, & absq; omni peccato in iustitia perfectum existere. In quo exemplo videre licet, quo tandem euadat humanæ mentis arrogantia cum posthabitatis verbi diuini oraculis seipsum ementita arbitrij libertate palpare incipit. Nec vero seculis accidit ante hæc tempora sophistis & scholasticis Doctoribus, qui adeo demersi sunt in profundum Pelagus errorum, obruti primum Philosophicis fragmentis de voluntatis pœnæ, vt ne scintillam quidem sanæ doctrinæ Euangelij retinuerint.

Imo si Patres seu scriptores Ecclesiastici saniores graui legantur iudicio, quis inficiari potest, sublimem illum articulum nostræ religionis in quo statuimus, nos indigos & peccatores tantum diuina misericordia, propter mortem & obedientiam vnigeniti filij Dei mediatoris per suam fidem iustificari, et ad vitæ æternæ hereditatem acceptari

in plerisq; impropriæ, & non sine corruptelis, in multis  
obscure & perplexe, in paucissimis solide, & absq; ratio-  
nis fermento exponi. Huius vero inscritæ originem  
fluxisse totam è præpostera defensione liberi arbitrij, facie  
le mihi concedet is, qui in istorum scriptorum lectione  
cum mediocri attentione & iudicio est versatus.

Vt huius rei dem aliquod illustre documentum:  
expendat mihi Lector Fausti Regiensis Episcopi ver-  
ba, quibus enarrat promissionem in Exodo 33. Misere-  
bor cuius miserebor, & clemens ero in quem clemens fu-  
ero. Ita, inquit, hæc elocutio intelligenda est: Miserebor  
cui voluero, id est, quem iustum esse cognouero: cuius  
promptam fidem videro: quem præceptis meis obedire  
perspexero: quem meam facere perspexero voluntatem.  
Qui potuisset impudentius intuertere nobilissimam Dei  
promissionem? Quod enim totum æternus Pater mis-  
ericordiæ suæ adscribit, id quasi eruptum eius gloriæ in so-  
lidum meritis hominum adsignat. Vbi Deus suam com-  
mendando bonitatem spem certam salutis monstrat: Ibi  
Faustus præclusis gratiæ foribus ad operum nostrorum  
inopiam nos relegat, et certissime desperationi adstringit.  
Atqui hic infelix Faustus is haberi voluit qui Pelagi  
blasphemias magno zelo refutaret: sed dum inepte con-  
tendit, non proslus negandum esse liberum arbitrium, in  
rebus spiritualibus manifestum sese declarat gratiæ ho-  
stem. Vigilet itaq; Ecclesia Dei, nec sibi patiatur immens-  
ta iustitia fidei vel falsari, vel penitus eripi.

Erasmus quantis potuit eloquentiæ viribus, quibus  
erat

erat instructissimus conatus est, aliquam saltem & modis,  
culam vim liberi arbitrij adserere : Verum Martinus  
Lutherus electum Dei organon tanto robore spiritus,  
tam validis argumentis, ac tot ponderibus testimonio-  
rum Propheticorum & Apostolicorum totam humani  
arbitrij libertatem erga res spiritalles adeo prostrauit, de-  
iecit, contrivit atq; opprescit, vt omnes sani in Ecclesia  
Dei seruum, potius quam liberum agnoscerent arbis-  
trium.

Nunc quasi prorsus sepulta esset in Ecclesia memo-  
ria, cum recentis tum illustris certaminis : ac veluti obli-  
terata, atq; penitus expuncta essent testimonia, quibus  
tum Martinus Lutherus est usus aduersus Semipelagia-  
num Erasmus : noui quidam Sinergiae patroni magna  
confidentia renouant errorem de viribus humanis, &  
contendunt voluntatem humanam in sui conuersione,  
non esse subiectum mere patiens, sed omnino aliquid age-  
re ; & in hominis arbitrio & libera potestate esse situm,  
vt quis adsentiatur promissioni Euangeli, & oblatam a  
Christo salutem amplectatur. Ac quo magis dilucide sua  
commenta explicit, tres volunt concurrere causas in  
hominis vera conuersione : Spiritum sanctum mouen-  
tem, verbum offerens salutem, & hominis mentem ac  
voluntatem vltro adsentientem gratiae.

Quam vero prolixam errorum telam hinc texere  
conetur Satan homini pio, & in huiusmodi certaminibus  
paululum exercitato non est obscurum.

I. Primum enim hoc Pelagiano ac Philosophico  
figmento plane corrumpitur doctrina Ecclesiae de origi-  
nali peccato & naturae humanae insita prauitate. Nam si

rantum libertatis & facultatis adhuc residet in anima post  
lapsum, ut ex se se Spiritui sancto annuere, & adsentire  
possit, non erit tota hominis natura peccati seruitute vin-  
cta, nec hostili odio Dei repleta, nec plane mortua in  
peccatis.

II. Secundo Synergistarum error simul inducit te-  
nebras articulo illi summo de gratuita hominum coram  
Deo iustificatione: atq[ue] ita spoliat Ecclesiam thesauro  
omnium nobilissimo. Si enim salus aliqua ex parte ex  
liberi arbitrij adsensu, & voluntatis nostrae nutu depen-  
det, non poterit omne humanum meritum, & voluntatis  
dignitas excludi. Cum enim adseritur gratiam offerri ex  
æquo singulis, hos vero adsumi, quia voluntate sua am-  
plexantur salutem, illos deserit, quia cum possint adsentia-  
ri, reluctentur: quid aliud quam adsentientium meritum  
honoratur, repugnantium punitur malicia: quod poste-  
rius ut est verissimum, ita prius falsissimum.

III. Vnde tertium deinde incommodum prouenit,  
vt non solum miseris conscientijs laquei iniijciantur, si quis  
dem ad propria merita deducuntur: verum etiam Spiritu  
sancto, qui mentem caligine oppressam sua luce illu-  
strat, & distortam atq[ue] Deo aduersam voluntatem refina-  
git, ac reclam facit, debitus honos eripiatur, & prauæ hos-  
minis animæ attribuatur.

IV. Quarto Neq[ue] tantum falsa persuasione emen-  
ta Synergia, alioquin satis arrogans hominis ingenium  
inflat, verum etiam superba ac vana confidentia sui in  
præcipitia defectionum à Deo & securitatis abripit. Qui  
enim

enim sibi persuadet in suo arbitrio & potestate salutis acceptationem perpetuo sitam esse, is facile adduci poterit  
Satanæ præstigijs ut secure vitat, omni turpitudine se  
polluat, adfectibus indulget, & penitentiam in ultimam  
vitæ horulam differat.

V. Quinto, Si constabit Synergia, necesse est confusione sequi Legis & Euangelij, quæ diuersa doctrinæ  
rum capita, nisi accurate distinguantur, absq; solido frus-  
tu Prophetica & Apostolica scripta leguntur. Quod  
vero misceat Legem & Euangelion Synergia, inde pa-  
tet, quia fingit salutem ex æquo omnibus esse expositam,  
& neminem esse priuatum eligendi & appetendi facultas-  
te; ac distribui eam pro arbitrio accipientium & respu-  
centium: quæ imaginatio tota legalis est. At vero hæc  
est propria Euangelij: quod pater æternus nulla habita-  
ratione vel respectu humanæ voluntatis vel cursus, vel  
nutus, suo liberrimo arbitrio, & clementissima voluntate  
fontes suæ gratiæ deriuat, in quoscumq; placuerit, &  
quos ab æterno in vnigenito filio elegerit.

Quamobrem tum totius pene religionis ruinam mis-  
nitetur hic error Semipelagianorum seu Erasmianorum,  
quod magno suo malo sæpe experta est Ecclesia, vigilans  
dum est pijs pastoribus, ne sinant hæc venenata semina  
sumere augmentum. Utq; in hoc meam fidem & opes  
ram, pro mediocritate doni à filio Dei in me collati, Ecclesie  
Christi præstem, controuersiam de virib; humanis  
seu seruo hominis arbitrio erga res spirituales, explican-  
dam suscepi, atq; opto ut hic qualiscunq; labor cædat ad  
Dei gloriam, conscientiarum institutionem, & totius Ec-  
clesiae ædificationem, perniciosorum vero errorum extir-  
pationem, ac deletionem.

Caput

## C A P V T I .

### DE ADPELLATIONE ET definitione serui potius quam liberi arbitrij.

SI scriptores Ecclesiastici in dogmatum explicacione semper hanc necessariam curam adhibuerint, ut sanas verborum formas ex fontibus Israel, id est, ex scriptis Propheticis & Apostolicis, atque ex ore Spiritus sancti haueissent: & puriorem doctrinam posteris reliquistent, & minus nobis certaminum peperissent. Verum quia plerique, aut nouos modos loquendi in Ecclesia excogitaverunt magna licentia, aut prophanis Philosophis visitatas phrases, ad coelestium oraculorum explicacionem intempestive transtulerunt: Et ipsi sese labyrinthis inuoluerunt, & posteritati multorum errorum semina quasi manus tradiderunt: Quod cum in alijs multis doctrinæ Christianæ capitibus doceri possit: tum in praesenti controuersia nimis clare euincitur.

Adpellatio enim liberi arbitrij in hac controuersia, ubi non de statu hominis integræ: sed de defectu & corruptione hominis corrupti agitur: non in Ecclesia nata, neque a Spiritu sancto per Prophetas tradita, sed a Philosophis inuenta, & hinc in Ecclesiam non absque veritatis detimento inuecta est. Spiritus enim Dei in Prophetis & Apostolis, qui omnium rectissime vires humanas intelligit, cum de hominis non renata mente & voluntate connectionatur, potius adpellat tenebras, Ioh. i., inimicitiam adversus Deum, Roma. 8, stultitiam aduersantem ad Deum, Cor.

1. Cor. 2. cor lapideum, Ezech. 36. oculos mentis cœcos,  
aures cordis clausas, cor insipiens, ceruicem ferream, frons  
tem æneam, cor adamantinum, Animam seruam pecca-  
to, & vincitam laqueis diaboli. Hinc igitur si petiuissent  
modos loquendi scriptores, non liberum sed seruum &  
captivum potius arbitrium adpellassent mentis & volun-  
tatis facultatem, vel potius defectum.

Atq; rectissime factum est ab Augustino & Lus-  
thero, qui exploso arrogantissimo & falsissimo titulo,  
non dubitarunt seruum adpellare arbitrium. August:  
lib: 2. contra Iulia: Hic enim vultis hominem perfici,  
atq; vtinam Dei dono, & non libero, vel potius seruo  
propriæ voluntatis arbitrio. Adeo vero inualuerat hæc  
loquendi ratio, in Ecclesia: vt inueterata consuetudo sæ-  
pe tanquam rapidum & violentum flumen eum abripis-  
at, eoq; impellat vt inuitus liberi arbitrij adpellatione vta-  
tur: Vbi vero Propheticorum & Apostolicorum testis-  
moniorum gubernaculo regitur, non solum explodit  
hunc superbum titulum, verum etiam false deridet: De  
gratia & lib: arbitrio semper est inquit in nobis volun-  
tas libera: sed non semper est bona: Aut enim à iustitia  
libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala: aut à  
peccato libera, est, quando seruit iustitiae & tunc est bo-  
na. Item de correptione: & gratia: liberum itaq; arbitrium, &  
ad malum & ad bonum faciendum confitendum est nos  
habere: sed in malo faciendo liber est quisq; iustitiae, ser-  
uerit liberatus ab eo qui dixit: si vos filius liberauerit  
tunc vere liberi eritis.

Hic Augustinus liberum nominat, alienum esse à  
**B** iustitiae

Iustitia, quæ summa est seruitus : quemadmodum & Paulus Rom. 6. Sed de tali libertate non disputari in hac conuersia manifestissimum est : quaeritur an ea sit libertas, in homine, quæ soluta sit ab omni necessitate & impedimento, ac possit sese quocunq; libitum fuerit, vel ad amorem Dei & ea quæ sunt salutis æternæ conuertere, & inclinare, vel ab ijsdem ad Satanam & peccatum abducere : & an ipsa salus sit in arbitrio & potestate hominis sita. Necesse est igitur explodi titulum hunc liberi arbitrij : Siquidem anima hominis post lapsum non sui iuris, sed peccati est mancipium.

Arrogantiore adhuc titulo vni sunt Graci scriptores, qui eligendi in voluntate potestatem nominarunt, τὸ ἀρχεγόνιον, quasi voluntas tantum a se penderet, & in se omnia haberet posita. Idem sonat : τὸ ἐφάλαρη, id est, facultas quæ in hominis est arbitrio : hæc tamen phrasis coeteris est modestior. Cum vero adpellant, προαισχυρή, ή ἀνθέρετορ βουλητήμ. Item, ἀντοκρατορίκηρ ηγέτας εὐαγγελικῆς λελυμένηρ ὅρμηρ. Item, ἀντοφέποτορ βολήρ καιήγεμοντικήρ ἔξουσίαρ, non solum omnis humani pudoris, sed etiam fundamentorum Christianæ religionis sunt oblitio. Etsi enim hominis natura prorsus illæsa atq; ea integritate esset, in qua primum a Deo est condita : quod tamen nemo audebit adserere, nisi qui uniuersam Christi doctrinam, penitus sepelire volet : verecundia tamen atq; ipsa veritas obstat, quo minus arbitrio humano tam arrogantes tituli possint attribui. Si enim in homine est αὐτοῖς δέσποτος βουλὴν ἡ ἀντοκρατορίκηρ ὅρμητος : quid quæso in actionibus hominis Deo relinquetur ? Quanto magis in hac tristissima naturæ nostre corruptione, in tanto mentis er-

rōre, in tanta voluntatis prauitate, in tanto cordis feritate  
& contumacia, necesse est à tam inflato sermone abstine-  
re?

Nec solum in adpellatione, verum etiam in defini-  
tionibus liberi arbitrij desideramus non immerito & mo-  
destiam & Propheticæ doctrinæ diligentiores curam.  
Apud Longobardum lib 2. dist: 24. extat huiusmodi. Li-  
berum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis, qua  
bonum eligitur gratia adstante, vel malum eadem des-  
stante. In fronte præ se fert aliquid verecundiæ, eo quod  
dicit bonum eligi gratia adstante: Verum quia tantum  
tribuit rationi, ut bonum agnoscere, & voluntati ut idem  
eligere possit, modo iuuetur gratia, multo vagatur latius,  
quam Prophetica & Apostolica septa permittant.

Impudentior est Erasmi definitio, quæ ne gratiæ  
quidem meminit, & tamen largissime adscribit hominī li-  
beram facultatem: Liberum arbitrium inquit, est vis hu-  
manæ voluntatis, quæ se potest homo applicare ad ea,  
quæ perducunt ad æternam salutem, aut ab ipsam auer-  
tere. Incorruptæ hominis voluntati, quali fuit prædictus  
Adam ante lapsum, non male congrueret, hæc definitio,  
nec video quid possit addi. Hæc est enim integra liber-  
tas posse sele ad ea quæ sunt salutis æternæ applicare.  
Hanc vero facultatem tribuere tam cœcæ menti homi-  
nis, tamq; prauæ voluntati, quæ tantum ad malum est  
prona, magni stuporis & erroribus fascinati animi est.  
Grauiter igitur hæc Erasmiانا definitio à Lutherò  
est explosa. Ac multo rectius consuluisse Ecclesiæ Phi-  
lippus, si hanc semel extrusam ex Ecclesia definitionem,  
per locos suos non reduxisset.

Erasmianæ consentit Origenica definit enim libe-  
rum arbitrium esse facultatem rationis ad bonum ma-  
lumue discernendum, & voluntatis ad vtrumq[ue] eligen-  
dum. Huiusmodi facultas si homini non renato per spiri-  
tum tribuatur, tota doctrina de peccato originis ener-  
gatur, & beneficia mediatoris tantum non sepeliuntur.  
Nullæ enim erunt in mente tenebræ, si ea per se sibi suffi-  
cit, ad discernendum bonum & malum, & ea quæ ad sa-  
lutem æternam perducunt, vel ab ea auocant: Neq[ue] vo-  
luntas erit vincita peccato, vel laqueis satanæ irretita, si ea  
potest libere vel ea quæ salutis sunt, vel ea quæ mortem  
merentur eligere, ad eaq[ue] se applicare. Iстis ergo fulmis-  
nibus diuinorum oraculorum: Animalis homo non per-  
cipit ea quæ sunt spiritus, id est, ratio humana non valet  
tantum, ut possit discernere ea quæ iusta & spiritus sunt.  
Item, sensus carnis est inimicitia aduersus Deum, id est,  
voluntas non potest eligere salutem, sed potius odio hos-  
stilifurit aduersus Deum & propriam salutem: simili-  
busq[ue] testimonij plane prosternendæ sunt, atq[ue] extirpan-  
dæ ex Ecclesia Dei iste definitiones Philosophiam potius,  
quam Prophetarum spiritum redolentes,

Veram autem definitionem ex testimonijs Pro-  
pheticis & Apostolicis constituamus, vtq[ue] ea tanto sic  
planior, potentiaæ seu facultates animæ, de quib[us] hic dis-  
ceptatur, diligenter cognoscendæ sunt: Duæ sunt prin-  
cipes animæ potentiaæ, Mens & Voluntas. Mens est po-  
tentia animæ, condita à Deo & spirituali luce accensa, ad  
intelligendum Deum, creaturas, & patefactam diuinitus  
sapientiam, quæ facultas ita condita fuit, vt homo posset  
agnoscere verum Deum, intelligere discrimen honesto-  
rum

tum & turpium, videre viam salutis, numerare, compo-  
nere, ac diuidere, ratiocinari, ac vniuersa comprehendere  
cogitatione, quæ huic vitæ essent necessaria.

Voluntas vero altera est potentia animæ, condita à  
Deo ad eligendum & amplectendum obiecta à mente  
monstrata, vel ad respuendum eadem: quæ libera facul-  
tas homini in creatione fuit indita, vt Deo sponte ad-  
hæreret & impuros spiritus vitaret: vt ipsius obedientia  
libera tanto esset conspectior & nobilior, & naturæ dis-  
uinæ vicinior. Menti variæ tribuuntur actiones, vt est  
simplicium adprehensio, numeratio, compositio & diui-  
sio, ratiocinatio, memoria, iudicium. Voluntatis tres sunt  
actiones, velle, nolle, & adsensus suspensio. Vulgata est  
hæc & omnium captui exposita, distinctio Mentis &  
Voluntatis: Aliquando quidem utramq; potentiam una  
voce complectuntur scriptores cum Philosophici tum  
Ecclesiastici, vt cum ἡγεμονικός adpellant, utramq; intel-  
ligunt facultatem: Quemadmodum & Paulus cum in-  
quit, φρωνία τῆς σοφίας, tam de voluntatis adpetitu,  
quam de mentis intellectiva facultate loquitur. Alias ves-  
to distincte singulas notant vires. Mentem λόγον, κογ-  
νόντα μέντην, κοινά διάνοιαν. Voluntatem vero δέσμην, δέσ-  
μου, θεούλαστην adpellant. Sic & in dicto: Mala mens, ma-  
lus animus: Voluntas ab intellectiva potentia discernis-  
tur.

Sciendum vero est, sacram scripturam plerumq;  
cordis adpellatione, complecti has duas animæ facultates,  
mentem & voluntatem, vt Deut. 29. Et non dedit vobis  
Dominus cor intelligens, & oculos videntes, Deut. 28.  
Percutiet te Dominus cœcitate & furore cordis; Iere. 26.

Dabo eis cor ut me intelligent. Ac consentaneum est hanc esse causam huius phraseos, quod Prophetæ statuerint cor esse præcipuum sedem animæ. Ideoq; tutius est hos sequi duces in loquendo, quam Philosophos, qui rationem in cerebro collocant. Sciat ergo Lector non de exterioribus, necq; de interioribus sensibus, de sensu communi, discursu & memoria, quæ homini communia sunt cum brutis, sed de facultatibus mentis & voluntatis, & totius animæ vi hic disceptari, quid possint, vel non possint in ijs rebus quæ ad salutem æternam pertinent. Definitionem ergo serui arbitrij huiusmodi constituiimus,

SERVVM ARBITRIVM est defectus & prauitas animæ humanæ orta ex delicto Adæ: quæ mentem hominis, vera Dei cognitione destitutam, & tristitiam inuolutam caligine impedit, vt licet proposito ei Dei verbo, nequeat tamen ex sese sanctam de Deo, & de salute æterna cogitationem concipere, sed tantum ad commissi nescenda idola, & errores sit idonea: Quæ prauitas & voluntatem adeo occupat, vt quamvis ei offerantur per verbum beneficia Dei, nequeat tamen sese, sua vi vel minima ad Deum & ea quæ salutis sunt inclinare, sed servatur perpetuo ductu peccati, ad ea, quæ & Deo aduersa sunt & mortem æternam merentur. Hanc definitionem non ex Philosophorum obscura schola, sed ex Prophetarum & Apostolorum illustri templo petiuimus: Quod enim seruum arbitrium sit defectus testatur Iohannes, qui genus humanum tenebras adpellat: Quod sit prauitas, ex Ieremia patet, qui inquit, cor hominis prauum est & ærumnosum. Item Gene. 8. Omne figmentum cordis humani

hominis est malum à prima ætate. Originem huius miseriae natam esse ex lapsu Adæ docet Paulus Roma. 5. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.

Quod hæc seruitus arbitrij sit impedimento, quo minus mens hominis queat veram Dei cognitionem sua vi acquirere, aut quidquam de salute eterna percipere, ex Epistola ad Corinthios manifestum est, 1. Cor. 2. Animæ lis homo non percipit ea quæ sunt spiritus, Matt. 15. Caro & sanguis hæc tibi Petre non reuelarunt: Ad errorum & idolorum commenta tantum idoneam esse mentem hominis sic docemus, Psalm. 116. Omnis homo mendax, Psal. 54. Dixit insipiens in corde suo non est Deus. De voluntate quæ adserimus, nituntur Pauli testimonio, Roma. 8. Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum, Colos. 2. Cum mortui essent in delictis. Ex his igitur fundamentis sacra scripture, extracta est hæc definitio quam attulimus: Atq; hoc satis sit hic monuisse: Nam vbi de confirmatione nostræ sententiaæ agemus, tum aliquanto maiore præsidio nostram munierimus sententiam. Quis iam sit controversiaæ status in proximo capite, Deo iuante ostendemus. Paucis adhuc hic attingendum, non incommodè à Petro Longobardo fieri, quod discernit quadruplicem hominis statum,

I. Primus fuit ante prævaricationem & donorum in creatione acceptorum amissionem: Tum enim vera atq; nulla seruitute impedita fuit libertas in homine, qua & agnouit Deum, intellexit eius voluntatem, ac potuit ei sponte in omnibus obsequi: de hoc hominis statu nulla hic est disputatio.

Secundus

**II.** Secundus est post acceptum naturæ vulnus &  
Deo defectionem, & ante reparationem seu ad Deum  
conuersionem. Qui status ab illo priore multum est dis-  
similis, & omnium miserrimus. Tum enim exutus est  
homo ista pristina gloria & integritate, & erpta libertas  
te, in extremam peccati seruitutem est redactus. Ac de-  
hoc tempore hominis controuertitur præcipue: Siquidem  
quæritur quid homo demersus in peccatum & mor-  
tem, & nondum reductus ad Deum, neq; luce spiritus il-  
lustratus, valeat suis facultatibus ad hoc ut restituatur, &  
ad salutem æternam perueniat ac conuertatur.

**III.** Tertium hominis tempus est, post conuersionem,  
vbi mens noua luce perfusa, voluntas ad Deum reflexa,  
ac anima per Spiritum sanctum renata est: Hic certum  
est esse aliquam arbitrij libertatem peracta hac liberatio-  
ne per filium: quemadmodum testatur Christus Iohan-  
nes. Si vos filius liberauerit vere liberi eritis. Item, Vbi spi-  
ritus est, ibi est libertas. Cum ergo homo fiat domicilium  
Spiritus sancti in conuersione, ac mens illuminetur, &  
voluntas renouetur, necesse est longe alium esse harum  
virium statum, quam ante conuersionem fuerit.

**IV.** Quartus status erit plena illa & ab omnibus  
impedimentis soluta libertas, quam in resurrectione mor-  
tuorum & vita futura vbi plene ob-signabitur peccatum,  
& adducetur sempiterna iustitia, expectamus. Ac de his  
duobus postremis gradibus, sciat Lector non esse dispu-  
tationem. Constat enim in hac vita nemini sancto con-  
tingere perfectam iustitiam aut beatitudinem: In altera  
vero vita electos Dei, liberrime victuros absq; peccato  
in ius-

in iustitia ac sanctitate perfecta nemo sanus dubitat. Hæc distinctio adfert aliquid lucis ut articulus controuersiae, de quo mox dicemus proprius considerari queat.

Quod vero Bernhardus excogitauit triplicis libertatis distinctionem: 1. A peccato. 2. à miseria. 3. à necessitate, et si argutum inuentum videtur, & quodammodo concedi posit, tamen plus inuolutum, quam explicat controuersiam. Sunt omnino res distinctæ Peccatum, & miseria seu mors & cœteræ poenæ, sed tamen neutra ab altera potest diuelli: Cum enim peccata mereantur ac secundum mox trahant mortem, & miseriæ, nemo à miseria liber esse potest, nisi qui à peccato est immunis. Parum igitur aut nihil iuuat hæc distinctio. Libertas vero à necessitate quæ sit dilucidius erat explicandum.

Bernhardus contendit hominem imo & diabolum, licet mersos in peccatum & mortem, & plane vincitos insita malicia, tamen à Necessitate esse liberos. Verum imponebit sibi, quod imaginatur voluntaria omnia pugnare cum necessitate cum nemo inficiari posse, plurima esse, quæ summa fiant & immutabili necessitate, & tamen etiam summa voluntate. Deus enim immutabili & absoluta necessitate est iustus, idq; liberrima simul voluntate. Non igitur ea quæ voluntaria sunt excludunt mox necessitatem. Certum est satanam summa sua voluntate esse malum, & tamen nihilominus, immutabili necessitate malum esse. Sic homo corruptus necdum restitutus per spiritum, non est liber a necessitate, sed necessario peccat, & malus est, & impossibile est ei, ut non peccet, licet non coacte, vel inuito animo, vel aliunde tantum impulsus,

pulsus, neq; fatali necessitate peccet, sed simul sua voluntate & arbitrio.

Distinguendum itaq; erat inter coactionem, & immutabilem necessitatē, et inter hominis ad uincula p; et fatalem necessitatem. Recte excluditur coactio, quæ fit relatae voluntate: atq; fatalis necessitas pie exploditur, sed negari non potest hominem nondum renatum ita teneri constrictum vinculis peccati, vt ei sit necesse præsentि obsequi Domino, donec ab hac tyrannide liberatus, & in regnum lucis euectus iustitiae seruiat libere: Nobilissima enim est libertas seruire Christo atq; eius iustitiae: hæc de appellatione & definitione serui Arbitrij.

## C A P V T II.

### DE STATV CONTROVER SIAE, & quæ peregrinæ disputa tiones hinc sint remo uendæ,

IN omni disceptatione de veritate doctrinæ, in pri  
mis est necesse quæstionis statum probe intelligi, &  
in conspectu esse: Peregrinas vero materias, quæ men  
tem à scopo plerumq; abducunt, & quæstionis articu  
lum obscuritate inuolunt accurate remoueri. Prima  
itaq; hic cura sit, vt præcipius status huius controversiæ,  
de vi arbitrij in conuersione hominis ad Deum, recte in  
telligatur: & reliquæ quæstiones, vel de quibus nullum  
est dissidium, vel quæ ad causam præsentem nihil faci  
unt, diligenter separentur.

Manus

I. Manifestum est non hic disceptari, an & quæ fuit libertas in Adam ante defectionem à Deo. Vtrinque enim fatemur primos homines ita esse conditos ad imaginem Dei, ut in eis luceret clara, & nulla caligine impedita noticia Dei, & voluntatis diuinæ : Ac voluntas eorum non solum recta & iusta, sed & libera esset, vt se absq; omni impedimento posset vel obtemperare Deo, vel ab eo desicere ad peccatum.

II. Deinde nulla hic est quæstio, quid vel possit vel non possit liberum hominis arbitrium, id est, mens & voluntas, in rebus externis, ciuilibus, domesticis, in moribus, & ijs omnibus quæ ad hanc mortalem vitam, non ad cœlestis regnum pertinent. Facile hic largiuntur omnes sani, hominem suo ingenio intelligere discrimen iusti & iniusti, mendacij & veritatis, mortis & vitae : hominem à natura idoneum esse ad obeunda politica officia, posse suos mores ad honestatem instituere, continere manus, frenare lingua, regere oculos, etiam affectus quodammodo cohibere, vitare adulteria, furtum, periuria, & præstare posse obedientiam externam Quod cum Ethnicorum ut Scipionis, Camilli & similiū exempla testantur, tum verbo Dei adprobatur. Tribuit enim Christus Phariseis alii quam carnis iustitiam, Matth. 5. & Paulus gentibus Roma. 2.

III. Tertio, Etsi controversia à Pelagio mota, vicina est huic disputationi, & errori de Synergia occasionem dedit : tamen aliud nunc certamen est, & aliud nunc vrgetur quam à Pelagio adserebatur. Ille enim contendebat hominem proprijs naturæ viribus, ex naturitate allatis absq; gratia Spiritus sancti, posse ex morte

& seruitute peccati eluctari, spirituali obedientia Deo  
obedire, & vitam promereri æternam. At Synergiae pa-  
tronii concedunt hominem proprijs viribus naturæ, absq;  
spiritus gratia, non posse mortem & peccatum deponere,  
neq; inchoare, nedum plene præstare veram erga Deum  
obedientiam, sed egere Spiritus sancti auxilio: Hoc vero  
contendunt, Cum homo gratia Dei liberatur, & Spiritu  
sancto adiuuatur, tum eum aliquid de suo adferre, & ex  
reliquijs liberi arbitrij in sui refectione cooperari Spiritui  
sancto, ut paulo post clarius dicetur.

III. Quarto cauendum ne existimetur hic disputari,  
an aliqua sit, & maneat libertas in homine viuificato, &  
per spiritum renouato, vel an in actionibus spiritualibus  
quæ fiunt à conuersis ad Deum, concurrat mentis & vo-  
luntatis motus. Conuenit enim de eo, quod postquam  
homo gratia Dei & Spiritus virtute est coram Deo iu-  
stificatus, atq; regenitus seu renouatus, ac habet iam no-  
vas vires intelligendi, et volendi sancta: estq; creatura no-  
ua, vt debet, sic possit inchoare opera iustitiae, & agat ali-  
quid vi liberi, id est liberati, & per spiritum renouati ar-  
bitrij, licet auxiliante Spiritu sancto: Ac tum conceditur  
Synergia mentis & voluntatis in actionibus spirituali-  
bus, sed ita vt ea non reliquijs veteris, sed facultatibus no-  
vi hominis à spiritu inditis tributatur. Etsi autem renatis  
noua hæc libertas per spiritum datur, tamen negari non  
potest magna ex parte, herere hominem in seruitute pec-  
cati, nec posse corruptionem naturæ deponi in hac vita:  
Idcirco nemo iustorum est, qui eo libertatis progredi-  
queat, vt plene satisfaciat legi, vitet omnia peccata, & ab-  
solutam præstet iustitiam.

Quin

V. Quinto, Hinc remouenda est disputatio de fato stoico & Manichea necessitate, quæ fingit omnia tam bona quam mala, in pijs & impijs, fatali necessitate fieri. Certum est enim stoicorum deliria de fato, & Manicheorum furorem de necessitate aduersari verbo Dei. Nam & ipse Deus est agens liberrimum: Et homines primos condidit liberos etiam quo ad spiritualia: Natura licet de prauata, manet tamen aliqua libertas in externis, & ciuiis libus actionibus. Scelera Neronis, Caligulae, Iudae, Cain, non sunt fato facta: Et quia nihil est factum sine filio Dei, qui omnia recte & bene condidit, damnandus est Manicheorum furor, quo fingunt materiam tenebrarum necessario malam esse. Neq; hic de violento raptu, coactione, vel impressione disputatur: sed quantum mens & voluntas ex se possint ad conuersionem sui ad Deum, quaeritur.

VI. De externo usu, & ministerio verbi & Sacra-  
mentorum hic non est disputandum. Hic enim conuenit Deum in homine ad salutem efficacem esse per verbum: Fatemur Spiritum sanctum accendere agnitionem peccati, & contritionem, & rursus veram intelligentiam be- neficiorum Christi, & fidem, non absq; ministerio verbi, vt Enthusiastæ & Stenckfeldiani delirant, Sed dicimus cum Paulo: Quos elegit hos & vocavit. Item Euange-  
lion est potentia Dei ad salutem omni credenti.

VII. Septimo, Neq; in eo vertitur cardo disputatio-  
nis, an in conuersione hominis existant, & fiant aliqui  
motus in mente & voluntate. Si enim nulla lux esset in  
mente, neq; adsensus in voluntate prorsus nulla esset con-

uerio : Fatendum igitur, esse in homine motus dum con-  
uertitur, qui gratiam Dei sequantur, eamq; amplectantur,  
sed vnde & ex quo existant hi noui motus queritur.

VIII. His tandem vel prorsus alienis, vel vicinis  
quaestionebus paululum sepositis proprius disputatio-  
nis articulus consideretur. Hoc igitur in quaestione  
venit, Vtrum in conuersione hominis impij & à Deo  
auersi, in qua vere dolet de suo peccato, Et rursus  
erigitur vera fide intuente gratuitam Dei misericor-  
diam & mediatoris beneficia : Quia fiducia iustifica-  
tur coram Deo, atq; etiam viuiscatur seu renouatur:  
agat aliquid ex sese arbitrium hominis, id est, an mens  
aliqua intelligentia, & voluntas ad sensu, appetitu, seu  
nutu aliquo adiuuet sui conuersionem ad Deum, &  
regenerationem : An vero tota hominis conuersio  
& renouatio in solidum sit opus Spiritus sancti,  
Mens vero & voluntas & tota hominis anima sit  
tantum patiens subiectum, quod Spiritus refor-  
mat ac refingit, vt sit ad capiendam salutem ido-  
neum.

Si ullus est motus, vel leuicula scintilla bona co-  
gitationis in mente, vel pusillus nutus seu appetitus fa-  
lutis in voluntate, ex ipso vetere homine, & reliquis  
liberi arbitrij, iam certum est soli Spiritui sancto  
opus conuersionis & renascentiae in solidum non vere  
adscribi. Non igitur queritur quam multum agat ex  
arbitrio, sed prorsus an vel minutissimum agat ex  
se: Ac quia necesse est in conuersione existere  
desiderium quoddam salutis, & voluntatem annuere  
gratia,

gratiae, & adsensu accipi & quodam conatu retinere  
consolationem in verbo oblatam: queritur an hoc de-  
siderium, hic nutus, adsensus & conatus fidei, ex vetere  
homine sit, an vero merum Spiritus sancti & donum  
& opus.

Dilucide hic adsero totum hominis arbitrium, vel  
ut plenius loquar totam hominis animam, & mentem  
& voluntatem ex sese prorsus nihil adferre vel opera-  
ri ad sui conuersionem & regenerationem, neq; ex ul-  
la vel minima parte adiuuare Dei gratiam vel Spiritus  
sancti operationem. Quidquid vero vel mens vel vo-  
luntas agunt, in accipienda salute hoc totum est clemen-  
tis Dei effectus. Ut enim homo nihil confert operae  
ad formationem sui in utero matris: ita cum impius alien-  
nus a Deo conuertitur ad Deum, & renascitur spiritu,  
prorsus nihil confert ad hanc suam regenerationem.  
Vtque lutum nihil iuuat figulum vt fiat vas idoneum  
ad necessarios usus: nisi quod subiectum est in quo  
agit figulus: Ita hominis anima vt a spiritu Dei  
renouetur, nihil prorsus ex sese iuuat Deum: sed  
materia est, in quam clementiae sue signa imprimit  
Deus.

Aduersus hanc a Prophetis & Apostolis reuelatam  
doctrinam contendunt patroni Synergiae: Etsi magna sit  
caligo mentis humanae, & tristis depravatio voluntatis  
& omnium virium ex Adae lapsu: Nec possit homo absq;  
Spiritu sancto vel eluctari ex peccato & morte, vel in-  
choare ea que ad salutem pertinent: tamen eas esse quamvis  
pusillas liberi arbitrij reliquias, vt monstratis per Euange-  
lion

lion beneficij Mediatoris, & Spiritu sancto trahente cor  
& voluntatem ad adsentiendum, poscit homo aliquomodo  
ex se se annuere promissioni, comitari praeiam gratia  
& adsentiri motibus quos ciet spiritus.

Atq[ue] ita conuersionis & fidei, qua sit applicatio iustificationis & viutificationis triplicem ponunt efficientem causam. 1. Primam Spiritum sanctum praecuntem & mouentem. 2. Secundam, Verbum per quod est efficiax spiritus. 3. Tertiam, Mentem & voluntatem ex se se comitantes & sequentes gratiam: Videri quidem nolunt quod multum tribuunt, animae ex se se: sed quantumvis extenuent, certe nutum & facultatem adsentiendi, tribuunt voluntati non renatae ex se se.

Nos vero expresse repudiamus tertiam causam, & adfirmamus vnicam esse totius conuersionis efficientem, nimirum Spiritum sanctum: De verbi ministerio, quo vtitur spiritus in hac operatione nulla hic est disputatio. Hinc iam conspicuum est, de qua re disceptetur, & quod sit discrimen inter doctrinam nostram & aduersariorum: duplex nimirum:

I. Primum enim, quo ad corruptionem animae per peccatum nos docemus eam penitus a vertice ad calcem nulla eius parte excepta, corruptam peccato tanquam lepra infectam, totam excecatam, sub tyrannide Satane venundatam & in seruitutem redactam, totam subiectam irae diuinae, & omni vi spirituali exutam & plane mortuam, quod ad spiritualem cum Deo vitam. Patronives ro Synergiae, fingunt magna quidem ex parte fractam, labefactatam & corruptam, tum mentem tum voluntatem,

tem, sed tamen aliquid residuum esse, quo si excitetur, &  
inuetur aspirare ad salutem, & sui conuersionem velle  
possit.

II. Secundo, Nos ostendimus solius Spiritus sancti  
efficacia & operatione conuerti & renouari hominem,  
prospero nihil agente anima ex se se, vel mente vel voluntate:  
At est contra patroni Synergiae partiuntur operas  
inter Spiritum sanctum & liberum arbitrium, illi tris  
buunt præparationem, efficacem motionem, & præcisam  
partem operæ: huic nutum & ad sensum. Huc iam  
perpetuo respiciat mens in hac disputatione, & ad hunc  
scopum singulis collimet argumentis,

### C A P V T III.

#### DE MODO REGENERATIONIS.

VI Tautem vera sententia de hac controv ersia, quæ testimonia Prophetarum & Apostolorum ntitur  
pleniū percipiatur, opera precium erit conuersionis &  
regenerationis modum, progressus nouorum motuum,  
& gradus operationum Spiritus sancti in homine accusare explicare. Ac ne vocum ambiguitas Lectori imponat, de usu & significatione earum prius dicam. Conuersatio seu poenitentia, est hominis impij & à Deo auersi in  
melius mutatio, in qua vera contritione animus dolet de  
admissso peccato, metuit Dei seueram iram, & poenas: Et  
rursus vera fiducia adprehendente promissionem Euangeliij, et accipiente beneficia mediatori erigitur, cum Deo  
reconciliatur & in gratiam recipitur. Duo itaq; motus

D sunt

sunt conuersionis, videlicet, Pauor seu dotor ob admissam turpitudinem : Et fiducia adsentiens promissionei gratiae, & statuens se Deo propter mediatorem placere. In hac conuersione, cum vere fidei scintilla aliqua in pectore lucet, quae se sustentat verbo, homo vere iustificatur coram Deo sola fide propter mediatorem. Alio sensu dicitur totam hominis renati vitam debere esse perpetuam conuersionem. Hoc enim de mortificatione veteris Adami, & reliquarum peccati inhærentis abolitione, ac dominorum spiritus incremento intelligendum est. Hic de primo usu vocabuli agimus.

Iustificatio, reconciliatio, imputatio iustitiae, remissio peccatorum, adoptatio in filios Dei & cohæredes Christi, prorsus sunt eiusdem significationis : nisi quod due postremē voces, renouationem & alia Christi beneficia aliz quando includere videntur. Est autem iustificatio seu imputatio iustitiae, nihil aliud quam benigna voluntatis Dei clementissima actio, qua æternus Deus ex mera bonitate gratis homini impio non solum carenti omni iustitia, verum etiam reo mortis, absq; omni eius merito vel dignitate, propter obedientiam Iesu Christi mediatoris per fidem condonat omnia peccata, pronunciat esse iustum coram se, et plena reconciliatione facta in gratiam eum acceptat. Ab hac iustificatione quae in sola remissione peccatorum consistit, necesse est distinguiri iustificationis beneficium : Etsi enim hæc duo perpetuo coniuncta sint, & neutrum absq; altero existere possit : tamen quia fides in conscientia conflictu, de Dei iudicio, non nostri renouatione, sed gratuita peccati condonatione niti, & in ea tota acquiescere debet, plurimum refert ista non confundi.

Reges

Regenerationis, viuificationis, sanctificationis vox  
tabula ambiguo sensu usurpatatur. Plerumque enim ut Ioh :  
3. Eph. 2. Tit 3. utrumque Christi beneficium, videlicet, cum  
iustificationem seu conuersionem, tum renouationem com-  
plectuntur, alias tantum posterius notant: Renouatio sig-  
nificat collapsum naturae instaurationem & emortuarum  
virium viuificationem. Hęc præmonenda fuerunt, ne di-  
uersus usus vocū minus cautum Lectorem irretiret. Iam  
ut conuersionis & totius regenerationis modus, & pro-  
gressus motuum proprius aspici, et exactius cognosci que-  
ant partiemur Spiritus sancti operationes, quas in fidelis-  
bus exercet, in quatuor gradus: ac liceat mihi docendi  
causa certis uti adpellationibus.

- I. Deum. Primus Gradus est, conuersio hominis impii ad  
II. Dei in homine. Secundus, Viuificatio seu renouatio imaginis  
III. vita. Tertius, Gubernatio seu directio totius cursus  
IV. tantiae. Quartus, Perfectio salutis seu donum perseuer-

Conuersionem hominis orditum spiritus sanctus usus  
est a ministerio verbi. Ita enim aeterno Deo est usum  
per vocem externam, qua voluntatem suam, tum in lege  
cum in promissione Euangeli comprensam reuelat ho-  
minibus, exercere sui spiritus vim, & efficaciam ad collis-  
gendam Ecclesiam & accendendam vitam in hominum  
pectoribus. Hoc Dei consilium indicat Christus Ioh. 12.  
Non ex me ipso locutus sum, sed Pater qui me misit, de-  
di mihi mandatum, quid dicam, & quid loquar: Et scio

D 2 quod

quod mandatum eius vita est æterna. Et 1. Cor. 13. Nō  
tum vobis facio Euangelion, quod predicauī vobis, quod  
& accepistis, in quo & statis, per quod & salutati estis.  
Non igitur extra hanc Spiritus sancti officinam seu scho-  
lam imaginandi sunt raptus Enthusiastarum, vel violen-  
tæ impressiones, sed ad ministerium est respiciendum:  
Quos enim elegit, hos & vocauit.

Existunt autem in homine etiam ante renascentia  
am, facultates audiendi verbum, legendi sacram scripturam,  
descendi doctrinam Ecclesiae, & meditandi mandata  
& promissiones Dei: Verum hic nisi accedat interior  
Magister, qui mentem erudiat, & luce sua illustret, tan-  
tum abest ut mens humana vi propria vere intelligat spiz  
rituale iudicium legis, & sublimem Euangeli promissio-  
nem, ut vtrumq; doctrinæ genus pro extrema stultitia  
habeat: Si enim audiat & quodammodo intelligat raz-  
Roma. 5.  
Matth. 5.  
Phil. 2.  
3. Cor. 1.  
tio: Ex ynius homini lapsu venisse condemnationem in  
totum genus humanum; leviculam cordis commotionem  
in fratrem, mereri æternam destructionem, non solum riz-  
det hoc iudicium, sed etiam crudele censet. Rursus si au-  
diat, æternum Dei filium ideo factum hominem, & mor-  
tem subiisse, ut Ecclesiae tam miser & pusillus coetus sal-  
uaretur, nihil putat singi aut dici stolidius, & tota abhor-  
ret ab hac stulta prædicatione. Nisi igitur Spiritus san-  
ctus verus & interior preco mentis oculos aperiat, fru-  
stra personant aures Dei verbo, vel Lege vel Euange-  
lio.

Meminerit Lector infinitum esse discriminem inter  
carnalem seu animalem noticiam, Et spiritualem Dei &  
voluntatis eius veram intelligentiam. Fatemur esse quan-  
dam

dam obscuram umbram lucis in mente hominis adulti, qua intelligat quod sit Deus, & esse discrimen honesti & turpis: qua perspicientia haec vita regitur. Sed haec noticia prorsus nihil facit ad percipiendam salutem, seu ad conuersionem. Necesse est enim in spiritu intelligi verum Deum, necesse est spiritualiter intelligi legis iudicium, necesse est arcanam & alienam a ratione promissionem gratiae intelligi: In his cum talpa sit coecior mens, prorsus nihil hic videt propria vi. Hinc est quod omnes Prophetae & Apostoli totum genus humanum meras tenbras vocant Iohan: 1. Lux in tenebris lucet, 1. Cor. 2. Animis homo non percipit ea quae sunt spiritus: Stultitia enim sunt ei. Iohan: 1. Nemo Deum vedit unquam. Matth. 11. Nemo nouit Patrem nisi filius, & cui filius volunt reuelare. Matth. 16. Caro & sanguis hoc tibi non reuelarunt: Testatur filius Dei, impossibile esse animae ut proprijs viribus aliquid de regno Christi intelligat. Roma. 3. Non est intelligens, non est qui faciat bonum, ne unus quidem, Ioh: 9. In iudicium veni in hunc mundum, ut qui coeci sunt videant.

Prima igitur Spiritus sancti actio est in conuersione hominis, Coecae mentis apertio, & nouae facultatis creatio, qua recte possit agnosciri verus Deus, & spirituale legis iudicium, & arcana ac sublimis Euangelij sapientia intelligi & cogitari. Quod si quis hic somniet Synergiam mentis in accendenda hac spirituali luce: is non minus insanit, quam si adsereret ex tenebris lucem oriri, ex cœcitate visum nasci, ex carne spiritum manare, ex morte vitam profluere. Quæ si absq; extrema dementia adfirmarint, nequeunt, nullo praetextu fingi potest, excoecatam

& inferni tenebris penitus oppressam mentem ex se se iuuare spiritum ad suu illustrationem. Baptista Iohan. 3.  
inquit: Qui de terra est terrena loquitur, quasi dicat,  
vt homini est impossibile proprijs viribus in coelum scandere, ita fieri non potest, vt quis sua vi coelestem percipiat sapientiam,

Quod vero Spiritus sancti opus sit haec spiritualis  
mentis illuminatio infinitis testimonijs scripturæ potest  
doceri, Ioh. 1. ille erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem  
venientem in hunc mundum. Iesa. 54. Et erunt  
omnes docti a Domino. Ioh. 6. Qui audit a patre & discit,  
hic venit ad me. Ioh. 16. Cum venerit paracletus spiritus  
veritatis, ille docebit vos omnia. Act. 16. Lydia audiebat,  
eui Dominus aperuit cor, vt attenderet quæ dicebantur a  
Paulo. Psal. 34. In lumine tuo videbimus lumen. Iere. 14.  
Dabo illis cor ut agnoscant me. Iere. 31. Indam legem  
meam in mentem ipsorum. Cum itaq; vniuersa scriptura  
testetur, mentem humanam ex se se nihil nisi tenebras esse,  
negat ullo modo vel tenuissimam micam sapientia, vel  
Legis vel Euangelij spiritualiter intelligere: totum vero  
opus illuminationis soli Spiritus sancti effectio adscribit,  
nefas esset, Deo eripere suam laudem, et censuræ menti fallo adsignare,

II. Postquam vero cordis ianua ad intelligentiam  
patefacta, & mens noua luce perfusa est, vt videat quis  
sit verus Deus, quæ eius voluntas, quod eius iudicium de peccato, quæ eius clementia erga genus huma-  
num, tum etiam hominis tangit voluntatem eamq; re-  
format atq; conuertit alliendo, & trahendo eam ad se. Non

se. Non enim sponte sua redit ad Deum hominis voluntas auersa à Deo per peccatum: nec propria facultate eligit monstratam salutem, vel oblatam desiderat, vel desideratam accipit. Sed prorsus distorta ex se se nihil potest, nisi Deo aduersari, & ruere in interitum. Atque omni libertate arbitrij prorsus exuta est, ut ne hilum quidem eius possideat.

In rebus externis, in politica rerum administratio, ne, in communi vita, in gubernatione externorum monasteriorum, in electione ciborum, & operarum distributione, concedo adesse voluntati suam liberam electionem, ad petendi, vel respuendi, volendi, vel nolendi facultatem, sed ut libertas in eligendis vestimentis, vel cibis certis nihil ad salutem facit, ita nec electio morum honestorum facit ad hominis salutarem conuersionem. Quare fatendum est hominis non renati voluntatem, Prorsus nihil agere ut conuertatur à Deo, necq; vel pusillum ex se se cooperari Spiritui sancto eam reducenti ad Deum. Cum enim ea seruitute peccati constricta sit: Ioh. 8. Rom. 6. & 7. ac tyrannide Satanae oppressa, Luc. 11. Legis maledictione & Dei ira prorsus obruta. Iohan. 3. Cumq; tota sit inimicitia aduersus Deum, Rom. 8. Et praterea mortua in delictis: Col. 2. Ephe. 2. Gene. 3. Nihil potest dici absurdius quam hominis voluntatem ex se aliquid cooperari Spiritui sancto in sui conuersione. Egregia enim illa esset libertas, si ex se se posset verbo offerenti salutem adsentiri, praesumentem spiritum vltro comitari, & ex carcere inferorum egredi.

Et qui fieri potest, ut ea voluntas quæ tota, quanta est, ardet odio Dei, ex se se concipiatur desiderium erga Deum,

Deum, & se illi spiritu suadente adsociet? Quid vero mi-  
nus est possibile, quam ut emortua prorsus voluntas, ali-  
quomodo ex sese resurgat, idq; ad vitam spiritualem? Ille  
vero adsensus quo accipitur Dei gratia, est vita & spiritus  
qui ex carne scaturire non potest. Voluntas igitur in  
conuersione sui, ex sese nihil prorsus agit, ac ne tantum  
quidem potest ex sese, ut Spiritui sancto mouenti non re-  
pugnet, sed quantum in se est antequam conuertatur,  
rebellis est: tantum abest, ut insita facultate oblatam gra-  
tiam eligere, vel tenuissimo igniculo desiderare, vel leuis-  
simo nutu ex sese adprobare queat.

Dialo: 3.  
cont: Pe-  
lag:

Explodenda est itaq; nimis arrogans vox Hierony-  
mi: Nostrum est inquit, incipere, Dei autem perficere:  
Nostrum offerre quod possumus, illius implere quod  
non possumus. Vnde enim miser homo initium suæ con-  
uersionis faceret, cum mens talpa sit cœcior: voluntas la-  
pide atq; incude durior.

De p̄ræ-  
dct:  
sanct:  
Cap: 3.

Enchrid:  
ad Lau-  
rent:

Epist: 106

Imbiberat & Augustinus hunc errorem, vt imagi-  
naretur fidem, qua in Deum credimus, non esse Dei do-  
num, sed à nobis esse in nobis: & per illam nos incipere  
& impetrare Dei dona: Sed ex verbo Dei rectius edo-  
ctus hunc errorem abiécit, ac constanter docuit prorsus  
nihil boni existere in hominis voluntate, nisi ea à gratia  
præueniretur, sunt enim eius verba: Ut totum detur  
Deo, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiu-  
uandam, & adiuuat præparatam. Item, Nolentem præue-  
nit vt velit; volentem subsequitur ne frustra velit. Item,  
ad Bonifa: Omne opus bonum gratia præcedit, & id co-  
mitante non ducente, pedissequa non previa voluntate.  
Ac idem

Ac idem proorsus vult Christi dictum: Nemo potest ad Iohann. 6.  
me venire, nisi pater meus traxerit eum. Initum igitur  
non est a nostra voluntate: quæ semel acta, ut ille in Prosp: de  
quit;

ingrat:

In præceps labi nouit, consurgere nescit.

Id enim requiritur a voluntate, ut quemadmodum  
hactenus spredo legis iudicio delectata est peccato, & sui  
interitu: ita nunc concipiatur iudicij diuinæ metum, & do-  
lorem ob peccatum: quemadmodum hactenus arsit Dei  
odio, & amore Satanae: ita nunc expauescat cogitatio-  
ne, tam horrendorum scelerum. Deinde rursus ne persis-  
tat in his angustijs & doloribus, sed ut rursus monstra-  
tam in gratuitate promissione peccati condonationem, &  
salutem per Christum, non auersetur, sed potius adsensu  
& comprobatione velit & accipiat, & spiritui non oblu-  
ctetur. Neutrum ex se se potest voluntas, nec contrito-  
nem veram seu pauorem animo concipere: nec promis-  
sioni gratiae vel operationi spiritus sancti, vel leuiculo nu-  
tu adsentiri ex se se. Nisi enim Deus verbo & spiritu suo  
emolliat lapideum cor magis indurescit, nisi extingua-  
peccati amorem, magis is inflammatur: nisi inclinet vo-  
luntatem, nunquam ea se se ad gratiam applicabit.

Ac ne quis imaginetur per se quidem nihil boni ex-  
petere voluntatem, at motam seu excitatam a Spiritu  
sancto, sponte sua comitari praeuntem gratiam, & ex se se  
annuere, vel adsentiri promissione gratiae. Sciendum est  
ne hanc quidem facultatem vere tribui voluntati. Si enim  
non a Deo, sed a voluntate profiscitur vel adsensus, vel  
aduentiendi conatus, vel pusillus aliquis nutus, vel saltem  
E exigua

exigua quædam adpetentia seu desiderium salutis, quod non sit à Spiritu sancto, sed ex cineribus extincti liberi arbitrij emicet, iam magnum aliquod bonum, quod faciat discrimen inter reprobos & saluandos, restat in homine; neq; vere dici potest totus homo mortuus in delictis; neq; omne quod non est ex fide erit peccatum. Quis enim audebit dicere, hunc vel adpetitum gratiæ, vel nutum seu conatum adsentiendo esse peccatum?

Ergo si nefas est Pauli diuina testimonia in dubium vocare; si vere dictum est à Chrysostomo, ut est: Quod omnis homo non solum naturaliter peccator est, sed totus peccatum: Fatendum omnino est, voluntatem in sui conuersione prorsus nihil agere, quod vel minimum adiuuet vel promoueat primam sui conuersionem seu regenerationem. Totum vero Dei est, ut mentis illuminatio, sic voluntatis ad Deum conuersio: Vbi enim infusa est menti lux illa coelestis, qua ostendit Deum eiusq; voluntatem, tum simul ciet actrahit spiritus voluntatem, ut gratiam iudicio eligat, desiderio expetat, non repugnet diffidentia, sed nutu probet, ad sensu velit, conatu luctetur, & vera fiducia accipiat a spiritu oblatam salutem. Totum hoc inquam Spiritus sancti opus est, & beneficium, nulla ex parte ab hominis arbitrio proficiscens, ut rectissime & pie dictum sit ab Augustino. Deus est qui operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate sua: Nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis & velle: Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate: Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pius, hoc verum, ut sit humilis & submissus.

Phil: 2.

August:

De bono  
perseueran-

missa confessio & detur totum Deo. Cui consentit & Cy Cypria :  
prianus: In nullo gloriam, quoniam nihil nostrum  
est. Atq; idcirco Paulus hanc homini conuersionem, no-  
uam adpellat creaturam, ne arrogans hominum ingenii  
vel tantillū sibi in tam sublimi operatione Dei adscribe-  
re auderet, sed Deo suam gloriam integrā relinqueret.

Iam vero magna hic diligentia cauendum est, ne  
conuersionem ipsa magnitudine, vel paruitate motuum  
qui in mente vel voluntate cidentur a spiritu metiamur. In  
alijs enim celerius, in alijs tardius efficitur conuersio: in  
alijs splendidior, in alijs languidior fides acceditur. Pau-  
lus concitato cursu ruens ad effusionem sanguinis Chri-  
stianorum, in medio impetu retrahitur, ac mox sentit in-  
fandum dolorem, ob peccatum, & flagranti desiderio ex-  
petit salutem. Pharisei qui a Iohanne sunt Baptisati haud  
dubie aliquoties eius conciones audierunt, contulerunt  
Prophetarum vaticinia, antequam Pharisaeicas opiniones  
abicerent, & nouo Sacramento sese dedere potuerunt. Ac  
longe & maior dolor de peccato & firmior fiducia mis-  
ericordiae Dei, extitit in peccatrice Lucae 7. vel in Petro,  
quam in aliquo nostrum. Et tamen veram esse nostram  
conuersionem omnino statuere debemus.

Hoc igitur est attendendum, cum vera est in mente  
noticia iudicij diuini, & misericordiae ostensae in Euange-  
lio, ac in voluntate verus dolor de peccato, & rursus ve-  
rus fidei adsensus amplectens gratiae promissionem, tum  
vera est facta hominis conuersio, quae ut dictum est  
in solidum solius Dei est opus: nobis nihil prorsus ad  
eam ex nobis adferentibus. Ac quia conuersioni corre-  
spondet iustificatio seu reconciliatio sciendum est, adpli-  
cationem seu acceptiōnem remissionis peccatorum seu

Iustificationis non fieri alio medio, quam solo fidei motu: Ac fidem, licet sit Dei donum non tamen esse nostram coram Deo iustitiam, sed tantum instrumentum, quo adplicamus nobis iustitiam a Deo datam, & per filium mediatorem partam. Hactenus de conuersione.

**II.** Secundus gradus operationum spiritus est virtus significatio seu renouatio imaginis Dei in nobis. Etsi enim in ipsa mentis illustratione, & voluntatis ad adsensum inclinatione, quodammodo inchoata est collapse imaginis instauratio, & noua quædam lux & vita animæ instillata: nondum tamen hæc poenitentia & fides sunt, solidior illa & plenior vita, quæ tum primum sentitur cum per fidem Spiritus sanctus acceptus cor vivificat, sed lucida potius, & aditus ad vivificationem. Secundum igitur beneficium est, quod per fidem, quam foris quodammodo stans inspiravit, animam ingreditur, & ad habitandum occupat eam, atque nouam vitam, pacem atque læticiam in ea operatur, atque etiam vires nouas creat inchoandi veram erga Deum obedientiam. Hanc operationem Spiritus sancti distinctam esse a priori differte docet Paulus Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus erga Deum, Gal: 4. Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Ephe: 1. Postquam credidistis, obsignati estis, spiritu promissionis sancto, qui est arabo hereditatis nostræ. Ex quibus dicitur patet fidem esse medium quo pax & læticia in corde accendatur, & Spiritus sanctus hospicio excipiatur. Praeterea in vivificatione splendidior radius diuinæ sapientiae adfulget menti, & voluntas magis robatur, ut Deo adhæreat, ac tota Dei imago in anima instaurari incipit, & in corde vivi & salutares motus creantur.

Nec

Nec dubium est Propheta & Apostolus ad hanc  
beneficiorum spiritus distinctionem respexit, quoties  
duplicia regni Christi bona commemorant, quod illis us  
tissimum est: Suscepit inquit Iesaias de manu Domini  
duplicia pro omnibus peccatis suis. Psal: 89. Quoniam di  
xi in aeternum misericordia aedificabitur, in celis prepa  
rabitur veritas tua. Zach: 12. Effundam super domum  
David spiritum gratiae & precum. Iohann: 1. Gratia & ve  
ritas per Iesum Christum facta est; Rom: 5. Gratia & do  
num per gratiam per Iesum Christum, &c. In his & si  
milibus dictis certum est misericordiam seu Gratiam sig  
nificare Iustificationem, id est, gratuitam peccatorum re  
missionem, & cum Deo per mediatoris Iesu Christi in  
tercessionem reconciliationem: Quia gratia seu iustifica  
tionis homo placet coram Deo & ad vitam aeternam ac  
ceptatur. Ac ut supra est dictum: Fides accensa a Spiritu  
tu sancto, instrumentum est quo nobis hanc gratuitam  
reconciliationem adplicemus, verum non est illa res pro  
pter quam in iudicio Dei iusti pronunciamur. Veritas  
seu donum per gratiam, haud dubie, ipsam iustificationis  
seu renovationem significat, qua homo iustificatus  
fide, ac Deo propter mediatorem placens, per Spiritum  
sanctum qui simul accipitur fide, resuscitatur a mortuis,  
& nouis ad obediendum viribus instruitur: ut mens ve  
re agnoscat Deum, & intelligat eius voluntatem: Vo  
luntas possit in Deo latari, Deum atque proximum vere  
diligere & coetera legis diuinæ officia obire: In qua vi  
tificatione anima sentit presentiam Spiritus sancti, quo  
tanquam arrabone confirmatur nobis gratia. Huc illa  
dicta pertinent: Si quis spiritum Christi non habet, non Roma: 8.  
est eius. Ephe: 2. Cum in delictis mortui essemus, conuiui  
ficiavit

ficiuit nos in illo, 2. Cor. 3. Nos vero transformamur in  
eandem imaginem Dei, à claritate in claritatem tanquam  
à Domini spiritu. Atq; in hac spiritus operatione non so-  
lum imputatione iustitiae verum etiam effectione libera-  
mur à seruitute & tyrannide Satanae. Siquidem hic vera  
libertas datur vitandi peccata & inchoandi congruen-  
tem legi obedientiam. Paulus hanc nouam vitam in  
anima hominis conuersi instauratam plerumq; spiritum,  
seu nouum hominem adpellat, Rom: 8. Idem spiritus tes-  
timonium dat spiritui nostro, quod sumus filii Dei. No-  
uam in nobis creaturam, à spiritu creatore discernit. Sic  
ad Gal: 5. Spiritus concupiscit aduersus carnem, Ioh: 3.  
Quod natum est ex spiritu, spiritus est,

- Causæ vero cur sit necesse has spiritus effectiones,  
videlicet, conuersionem, & viuificationem distingui, pos-  
**I.** tissimæ hæ sunt, vt certa maneat consolatio conscientia,  
quod nulla alia re pronunciemur iusti coram Deo, quam  
sola gratuïta Dei misericordia, quæ credenti imputat me-  
**II.** rita & iustitiam mediatoris Iesu Christi. Vtq; constet  
ad applicationem iustitiae sola fide fieri, non alijs motibus.  
**III.** Præterea ne in fidei lucta à consolationis sensu & viuifi-  
cationis effectu orditamus, sed in sola promissione gratu-  
ita acquiescamus. Si enim homini onerato peccatis tam  
diu esset dubitandum de remissione peccatorum, sui con-  
uersione atq; iustificatione coram Deo, donec persentia  
fidei non esset locus: eius enim proprium est in spem  
contra spem credere, vt Paulus loquitur: & seposito  
sensu cordis in solam promissionem recumbere. Ac  
quia viuificatio & pax animæ tum primum sentitur,  
cum

cum homo per fidem posthabito sensu cordis ex verbo statuit se iustificatum esse : nulla vñquam consolatio vel viuiscatio existere posset, si homo experientiae prius , quam gratiae promissioni adsentiretur. Tum quia viuiscatio tantum hic inchoatur, manentibus reliquijs veteris hominis, quas indies absumi oportet, nullo modo potest ea subsistere in iudicio Dei , vt nos propter eam iusti pronunciemur : Tantum isthic valet obedientia & meritum Domini nostri Iesu Christi media toris , quo solo nobis credentibus imputato , coram Deo absoluimur & ipsius iudicio iusti constitui mur.

Dubium non est Augustinum de hac viuiscatione seu reparacione hominis loqui, cum nominat Gratiam operantem. Cum vero nominat Gratiam præuenientem, & præparantem, magis illæ adpellationes conuerisionis beneficio conueniunt : quanquam inficiari nemo possit Augustinum saepe indifferenter adpellare gratiam cum præparantem, tum operantem : Quod inde profectum arbitror, quod minus accurate distinxit, Iustificationem à viuiscatione hominis : In multis enim locis non obscure ostendit, se tales intelligere nostri iustificationem, in qua non solum peccata nobis per fidem de leantur, & condonentur : verum etiam per Spiritum sanctum ita renouemur, & reficiamur ut legis iustitiam novis acceptis viribus inchoare queamus. Verum altam iustificationem nostri in sola gratuita peccatorum remis sione, & iustitiae imputatione consistere certo demonstrari potest, de quo nunc non est agendi locus.

Iam

Iam vero attendamus an in hac hominis viuificatio  
tione seu renouatione aliqua sit humanæ voluntatis Sy-  
nergia seu cooperatio. Prophetæ & Apostoli nullam  
agnoscunt, sed totum hoc beneficium Spiritui sancto ad-  
scribunt. Iesa : 40. Qui dat lasso virtutem, & his qui non  
sunt fortitudinem & robur multiplicat. Iesa : 38. Domine  
sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei : corripies me &  
vivificabis me. Osee 6. Venite & reuertamur ad Domini  
num, quia ipse coepit & sanabit nos : percutiet & curabit  
nos, vivificabit nos post tres dies. Coloss : 2. Et vos mor-  
tuos existentes in delictis & in præputio carnis vestra,  
coniuicauit vos cum ipso, donans vobis omnia delicta,  
&c. Iohan : 3. Quod natum est ex spiritu, spiritus est.

Neq; sane sine idolatriæ specie hoc insigne opus vi-  
uificationis, homini vel vlli creaturæ adscribi posset. Vi-  
enim creatio solius omnipotentis Dei opus & fabrica est,  
atq; in primis vitæ communicatio : ita amissæ vitæ resti-  
tutio & resuscitatio mortui cadaveris, solius Dei virtute  
effici potest. Non enim existimandum est, collapsæ ima-  
ginis Dei in homine reparationem & emortuæ animæ  
vivificationem, esse quiddam tenuius vel facilius creatio-  
ne : quin maius & admirabilius opus esse potius statuen-  
dum est. Hic enim mortem & peccatum prius auferri  
necessæ est, & ordinem iustitiae diuinæ quodammodo mi-  
tigari, ac deinde per Spiritum sanctum nouam & æter-  
nam vitam rursus inspirari. Nisi igitur hominem velis  
conditorem vitæ constituere, fatendum est tibi, hominem  
ex sece nihil præstare ad hoc ut vivificetur. Atq; hinc est  
quod Prophetæ & Apostoli huiusmodi hominis reparas-  
tionem nominant regenerationem. Iohan : 3. Renoua-  
tionem,

tionem. Titum 3. creationem, Psal : 51. 2. Cor. 5. viuificaz  
tionem, Ephe : 2. vt moneant, quam sit absurdum, atq  
etiam sacrilegum vel minimum tribuere homini in hac  
diuina reformatione eius.

Et quis eo insaniæ se abripi pateretur, vt somniaret  
mortuum cadauer, ex sese sui viuificationem adiuuare  
posse, nisi Satanas adeo dementaret & fascinaret homi  
num oculos : Dominus, inquit Hanna interficit & rur  
sus viuificat : deducit ad inferos, & reducit. Non tam in  
sua est, vt in hac restituione partes aliquas tribuat ho  
mini. Atq; hoc inprimis est stolidum ac contra rationem,  
quod Synergistæ tribuunt actionem quandam libero ar  
bitrio, id est, veteri homini : is enim cum suis desiderijs &  
actionibus in hac viuificatione magis deletur, consumi  
tur atq; necatur, tantum abest, vt ei locus aliquid agendi  
concedatur. Si vero dicat quis cooperationem illam à  
novo homine oriri, respondendum est, non posse nouam  
illam creaturam operas suas exercere priusquam sit na  
ta. Ad sui igitur nascentiam nihil adfert, nata agit ali  
quid. Ita patet neq; in hoc secundo gradu ullam humanæ  
voluntatis Synergiam esse ponendam. Scrupulus hic  
possit remorari Lectorem, videlicet, cum in conuersione  
ac præsertim fidei donatione, & mens noua luce irradie  
tur, & voluntas facultate adsentiendi instruatur : quid sit  
causa, cur haec mentis & voluntas conuersio non habeat  
tut pro viuificatione : verum hoc modo potest eximi.  
Noticia Legis & Euangeli, nondum est vita, illa enim  
etiam in damnatis suo modo existere potest : Nec fides  
est illa solidior vita, quæ tum primum sentitur, cum ver  
bo iam acquiescimus. Siquidem contra iudicium mentis,

F

& con-

& contra cordis sensum soli verbo insitit, & iuxta pos-  
tius est, quam consolationis sensus. Læticia vero quæ  
certamen fidei comitatur, & pax animæ & tranquillitas  
conscientiæ, in qua & mens vberiore Dei noticia perfun-  
ditur, & voluntas vere Deo adglutinatur est vera ani-  
mæ vita. Fides ergo medium est, per quod viuificamur,  
vt Iustus fide sua viuet: Adhaec fidem operatur Spiritus  
sanctus, nondum inhabitans cor: sed viuificationem &  
sensum consolationis, & nouam iustitiam cum operatur,  
iam habitat in corde fidelis hominis,

III. Tertium gradum operationis Spiritus sancti no-  
mino docendi causa Gubernationem. Hominem enim  
à peccato Iustificatum, a morte liberatum, & redditum  
factum, non deserit Spiritus sanctus: Sed potius post  
quam eum tanquam sedem suam ad inhabitandum oca-  
cupauit, deinceps eum regit, excitat, adiuuat, docet, custo-  
dit, ac perpetuo in omni actione gubernat: Spiritus est  
qui opitulatur infirmitati nostræ & clamat in nobis Ab-  
ba pater, Roma: 8. Quicunq; spiritu Dei aguntur hi  
sunt filij Dei, Roma: 8. Misit Deus spiritum filij sui in  
corda vestra clamantem Abba pater, Gal: 4. Omnia  
igitur opera quæ sunt à renatis, ut invocatio Dei, gratia-  
rum actio, confessio, patientia in afflictionibus, timor  
Dei, humilitas, dilectio proximi, continentia, sedulitas  
in vocatione, excitantur, efficiuntur & adiuuantur à  
Spiritu sancto habitante in corde hominis, iuxta dictum:  
Sine me nihil potestis facere, Iohan: 14. Cum enim vni-  
uersa scriptura testetur credentes fieri templa Spiritus  
sancti, non est somniandum, ociosum esse hunc admiran-  
dum hospitem, sed ducit & agit fideles, ornat eos sapien-  
tia

tia & doctrina, excitat & firmat eorum conatus, gubernat eos in vocatione, sustentat eos in aduersitatibus, accedit in eis motus cum lege congruentes dilectionem Dei & proximi, & totius vita cursum dirigit. Hinc nos minatur spiritus sapientiae, & scientiae spiritus roboris, & virtutis, spiritus adoptionis filiorum & libertatis, atque princeps spiritus. Siquidem ipso duce resistimus hostibus Satanae, mundo & carni. Hinc quoque est, quod omnes sancti in precibus ad Deum clamitant ut spiritu Dei regantur. Psal : 143. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, Spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam. Omnes igitur pias cogitationes, salutares co[n]natus, & actiones legi Dei congruentes, a Spiritu sancto suggeri, cieri, effici atque iuuari fatendum est.

Verum hic queritur an in hoc tertio gradu, videlicet, in gubernatione vitae renatorum sit aliqua ponenda voluntatis humanae Synergia. Ne hic neglecto ductore spiritu a semita veritatis declinemus, studiose attendamus in homine renato duos existere homines, ciuili quasi bello aduersus se inuicem dimicantes & quidem asperdo bello. Alius vetus, aliis nouus dicitur. Col : 3. Ephe : 4. 2. Cor : 5. Ille caro, hic spiritus dicitur Gal : 5. Iohan : 3. Rom : 8. 2. Cor : 4. Ille exterior, hic interior nominatur.

Hic duo aduersarij in uno homine, non ita sunt accipiendi, quasi exterior homo sit corpus, interior anima, vel exterior & vetus homo, sint sensus inferiores in anima, ut vis irascendi & appetitus: interior vero homo ac spiritus sit ratio & rationis dictamen obtemperans voluntas. Fuit in ea opinione Origenes,

genes, quem non pauci sunt secuti : Sed hęc turpis & perfidiosa fuit hallucinatio. Vetus enim homo, quem Paulus dicit corrumpi cum suis desiderijs, tam animam quam corpus significat, & quidem mentem & voluntatem precepit: ab his enim facultatibus homo denominatur. Quatenus igitur homo ab Adam secundum carnem natus est, obnoxius peccato, exutus iustitia, oppressus ira Dei, inutilis ad regnum Christi, carens noticia Dei, plenus affectibus malis, & seruitute deuinctus Satanae, dicitur homo vetus, & exterior, id est, qui ad res externas & ratione subiectas, tantum est idoneus, dicitur & caro, id est, res veleta, caduca, fragilis, immunda, destinata morti & damnationi. Ac praecepit in homine potentiae quatenus non sunt regenitae, ut mens & voluntas dicuntur caro; quia mens nihil nisi carnalia intelligit, nec voluntas altius se quam ad carnalia & huius vitae bona attollere potest. Omnis caro foenum inquit Iesaias, id est, omnis sapientia, & omne studium hominum, et quidquid in homine absque spiritu existit, est quasi foenum, id est, res veleta, non subsistens in iudicio Dei. Platonis sapientia, Aristidis iustitia, nihil est nisi caro & emortua litera, expers spiritus & vitae a veteri homine profecta.

At nouus seu interior homo dicitur, nouis ille in homine creatus spiritus, noua mens & voluntas in anima, & noua vis per Spiritum sanctum in hominem conuerso generata: quo nouo spiritu homo agnoscit verum Deum, intelligit eius voluntatem in Lege & Evangelio patefactam, credit promissioni gratiae, & vivit in Deo. De hoc nouo homine concionatur Paulus, Ephe: 4. Induite nouum hominem qui creatus est ad imaginem Dei in iustitia

stitia & sanctitate vera. Item 2. Corinth : 3. Si quis est in Christo est noua creatura. Roma : 7. Condelector legi Dei secundum internum hominem.

Quam acris vero lucta sit inter externum & internum hominem in renato, Satis euidenter indicat Pauli confessio, Rom : 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me legi peccati. Legem in membris appellat Paulus concupiscentias & affectus hominis veteris seu externi, & peccati feces in natura adhuc residentes : hunc internum hostem dicit adsidue, <sup>avtis patet ap</sup>, militari aduersus legem mentis, id est, aduersus conatus & studia spiritus seu noui hominis, ac quasi captum constringere & in seruitutem peccati religare. Non igitur exigua vis est veteris Adami in homine licet renato : Sic Gal : 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, 1. Pet : 2. Carnales concupiscentiae militant aduersus animam.

Hoc necessario discrimine veteris & noui hominis considerato, absq; difficultate intelligi potest, an & quæ sit in gubernatione hominis renati Synergia seu cooperatio concedenda. Nam primum quo ad veteris hominis reliquias attinet, eas quidquam cooperari inepit & stolidè adfirmaretur, postea quam vniuersa sacra scriptura testatur, vetustæ carnis sensum perpetuo oblistere atq; obluctari spiritui, & eius actionibus : ac non sine fremitu pati sui destructionem & internectionem, Gal : 5. Rom : 7. Nouus vero homo siue spiritus, qui ad bona opera conditus est, & potest & debet operari cum mente tum voluntate, & veram obedientiam conformem legi, & mos

Roma : 8. Roma : 8.  
tus spirituales præstare. Ideo enim cum Christo per Bap-  
tismum sepulti, cum ipso per spiritum resuscitamus, vt in  
nouitate vitæ ambulemus. Certum est quidem sanctos  
motus atq; pios conatus neq; excitari, neq; accendi nisi  
si motore & gubernatore Spiritu sancto, qui illustrat  
mentem vt videat recta, & salutaria, ciet & flectit volun-  
tatem, vt eligat & agat iusta: Interea & mens & vo-  
luntas, quatenus noua sunt in Christo creatura, & no-  
uis viribus instruncta, suas partes hic agunt. Mens  
cogitando verbum aspicit Dei beneficia in verbo &  
promissione ostensa. Voluntas sponte comitatur  
ducem spiritum, & idoneum se organon piorum mo-  
tuum præbet,

Itaq; non incommodo de actionibus renatorum di-  
ctuusq; 1. citur, tres causas efficienes ad eas concurrere. 1. Spiritu  
Vix. 2. tum sanctum vt motorem & effectorem. 2. Verbum  
3. Dei ostendens quid flagitet, Lex diuina. 3. Mens intel-  
ligens & meditans Dei verbum, & voluntas obtempe-  
rans Spiritui sancto. Non quidem ex sese hoc habet ho-  
mo, vt vel intelligat spiritualia, vel obtemperet: Quia  
tamen renouatae animæ sunt actiones, recte tribuuntur  
& homini nimirum nouo, non veteri, qui nihil nouit nisi  
rebellis esse spiritui usq; ad externum halitum. In hanc  
sententiam Paulus Roma : 8. loquitur. Similiter & spi-  
ritus coopitulatur infirmitatibus nostris. Ergo fatetur  
Paulus in vera patientia, atq; inuocatione nos aliquid  
agere, sed infirmitatem nostram adiunari à Spiritu  
sancto.

Atq; his consentit & Augustinus: Ut ergo velis  
misi

mus sine nobis operatur : cum autem volumus & sic vos De gratia  
lumus, ut faciamus nobiscum cooperatur : tamen sine et libet  
illo vel operante ut velimus vel cooperante cum voluimus arbitrii  
mus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Hoc omnino  
est retinendum prorsus nullum bonus opus, neque a renas-  
ta voluntate proficiisci absque auxilio Spiritus sancti, teste  
Christo : Sine me nihil potestis facere. Iohann : 14. Item,  
Non potest sibi homo sumere quidquam nisi datum fuerit de caelo. Ac modestius quidem sonat, si dicatur mens  
& voluntas renata sunt vel organon Spiritus sancti, seu  
vas misericordiae, quemadmodum Apostoli loquuntur.  
Nam Spiritus sanctus & effector, & motor, director &  
governator est renatae voluntatis, haec vero tantum ut  
pedissequa comitur non inuita : nam ut velit a Deo ac-  
cepit. Sed quia Paulus aliquando sic loquitur hominem  
Deo <sup>conveniens</sup>, nihil hic potest esse periculi, tantum ne se  
nimis efferat homo, tam ampla societate Spiritus sancti  
in tam sublimi motione.

Est preterea & hoc animaduertendum, quod etiam  
in Gubernatione, multæ sanctæ cogitationes in mente  
accendantur, multi motus flant atque inflamentur in ho-  
minibus, in quibus prius sunt potius subiectum patiens,  
quam agens. Ut motus Heroicus in Davide lacerante  
leonem, & trucidante Goliath, est opus solius Spiritus  
sancti, & irruentis in cor Davidis, idque incredibili robore  
& constantia firmans : priusquam David quidquam in  
animum inducat, vel petendam a Deo hanc fortitudinem  
vel cogitatione aliqua cor excitandum esse. Ac plerique  
motus sanctorum a Spiritu sancto adflati hoc modo exi-  
stunt. Cum vero de vniuersa renatorum vita dicitur, res-  
cite illis & libertas quedam & Synergia tribuitur.

Quar-

III. Quartus gradus operationis spiritus est salutis perfectio seu donum perseuerantiae, quo ita persistit constanter in fide, ut certa impetretur salus. Non enim omnes qui verbo illuminantur, & primitias fidei degustant, retinent hanc datam salutem: sed multi rursus abscondiunt fidem, excludunt Spiritum sanctum & excidunt gratia: Quemadmodum Christus inquit, Fiunt eis posteriora deteriora prioribus, Lucæ 11. Est ergo hoc peculiare beneficium Spiritus sancti, quod solis electis contingit, quod in fide ita stabiliuntur, ut inde excidere nequeant. Atq[ue] in hac Spiritus sancti operatione, ut nullum est meritum nostrum, ita nec cooperatio A solius enim Dei misericordia & inscrutabili electio Exod:33. ne dependet. Miserebor inquit, cuius miserebor, & Roma:9. clemens ero, cui clemens fuero. Non igitur est voluntatis, neq[ue] currentis sed miserentis Dei. Et Phil:2. Deus est qui efficit in vobis ut velitis & ut perficiatis, id est, ut in fide persistatis. Et Phil:1. Confido quod qui incepit in vobis opus bonum, perficiet usq[ue] in diem Iesu Christi, Ierem:32. Timorem meum dabo in cor ipsum, ut a me non recedant. Quæ testimonia clare euincunt perseuerantiam, de qua Christus inquit: Qui perseueraverit usq[ue] in finem, saluus erit, merum esse, & gratutum Dei donum, & opus solius Spiritus sancti, in electis eam efficientis. Hæc de modo conuersionis ac regenerationis aliquanto fusius exposui, ut & controuerteretur status & vera intentio de viribus hominis plenius intellegatur. Nunc confirmationem aggrediar, auxilio Dei per mediatorem Iesum Christum implorato.

CAPVT

## C A P V T IIII.

### CONFIRMATIO VERAE SEN-

tentia, Quod conuersio hominis solius

Dei sit opus absq; nostra

Synergia.

**N**on ex turbidis atq; veneno infectis lacunis huma-  
næ Philosophiæ : Sed ex lîmpidis fontibus Israel, ex  
concionibus Prophetarum & Apostolorum petenda  
nobis sunt Argumenta, quibus indubitatum in hoc arti-  
culo sententiam demonstremus. Præterquam enim quod  
ignara est ratio cœlestium dogmatum, etiam arrogantia  
plena est, vt nihil vereatur, maiores sibi tribuerent vires,  
quam possideat, vt inscitia suæ miseriam superbia furo-  
re conduplicet. Atq; idcirco diuinitus de cœlo hæc ad-  
miranda mysteria de reparatione generis humani sunt  
patesfacta, ne cœcæ rationis in tenebris passim impingen-  
tis vana delyria, sed diuini verbi claram lucem sequere-  
mur. Solos igitur hic diuinos testes audiamus. In contro-  
uersia de libero arbitrio vtrumq; quæritur, primum quid  
mens operetur, deinde quid voluntas ex se se agat, in con-  
uersione hominis ad Deum. Ac quia constat motus &  
actiones voluntatis initium sumere à cogitatione seu in-  
tellectu, vnde versus est : Quod latet ignotum est, igno-  
ti nulla cupido : satis valide demonstratum esset, prorsus  
nullas esse voluntatis vires ad bonum, vbi menti om-  
nem salutis intellectum detraxissemus. Verum hoc effi-  
cacious erit ad frangendam superbam Synergiaæ ceruicem,  
vt speciatim ostendamus, quam sit vtraq; facultas & tota  
anima eneruis inepta, & ex se se rebellis erga sui conuer-  
sionem.

G

I. Ar-

I. Argum: Vniversa itaq; sacra scriptura testatur,  
mentem humanā non solum ignaram esse Dei, & omnī  
quæ sunt spiritus, & ad ēternam perducunt salutē, verum  
etiam adeo oppressam tenebris, & cęcitate, & destitutam  
omni facultate ea inuestigandi, vt ei sit impossibile etiam si  
id in ēternū summa contentione conetur, vel vñ apicem  
de rebus spiritualib; & ad salutē pertinentibus vere intel-  
ligere: quin potius vt Simonides fassus est, quo diutius in-  
quirit, quo minus intelligit, vel vt Prosper ait: Quanto  
plus graditur, tanto lōginquiūs errat. Estq; hęc menti ag-  
nata cęcitas talis, vt nec ipsam legis sapientiā vere, & ius-  
dicio spirituali intelligat. Non videt quis & qualis sit ves-  
rus Deus, neq; vlo conamine eum inuestigare potest,  
neq; intelligit quod sit Dei iudicium, de peccato & iusti-  
tia. Videt ratio esse aliquod discriminem honestorum &  
turpium: At salus āterna requirit spiritualem legis per-  
spicientiam. A qua tantum abest ratio, vt si ei lex diutis-  
na spiritualiter explicetur, non secus eam, quam extre-  
mam stultitiam & barbariem execretur. Cum enim au-  
dit ratio tres esse diuinas personas, Patrem, Filium & Spi-  
ritum sanctum, atq; has reuera distinctas personas esse  
vnam simplicissimam essentiam: Cum audit propter vni-  
us hominis delictum totum genus humanum factum esse  
obnoxium āternæ damnationi, leuisimam & rāḡ/ap me-  
reri ignem āternum, nihil putat stolidius fingi posse.  
Atq; ab hac sapientiā tam procul distat mens, cum tas-  
men ad eius normam condita sit, & radij eius in prima  
creatione in hominis mentem transfusi sint. At in infinito  
remotior est à mente humana sapientia in Euanges-  
tio reuelata, iuxta quam conuersionem fieri necesse est.  
Hanc ne Angelis quidem ostendit Deus in creatione,

Sed suæ eam maiestati reseruauit. Itaq; licet integra  
esset & illæsa hominis natura, nihil tamen de luce Euangeliū  
ex sese perciperet. Quanto minus poterit mens  
oppressa tenebris & excœcata, quidquam percipere, vel  
cogitare ex sese, de illo sublimi & arcano maiestatis di-  
uinæ consilio?

Nec vero hic cogitet quisquam, ignotam quidem  
esse homini Euangeliū doctrinam, nisi diuinitus reuele-  
tur: at si in prædicatione verbi beneficia mediato-  
ris proponantur, yi mentis ea cognosci posse. Adeo  
enim omnis vis intelligendi spiritualia adempta est  
animæ, vt licet beneficia regni Christi splendidissi-  
ma orationis luce exponantur, vberrima verborum  
copia suauiter offerantur, singulari dexteritate & ma-  
gno zelo proponantur, siue per Apostolos, siue per  
eloquentissimos Prophetas, siue voce filij Dei: tamen  
nisi intrinsecus aperuerit mentis oculos & cordis aus-  
res Spiritus sanctus, & innatam stulticiam abstulerit,  
nec intelligit diuinas promissiones, nec vt proprius con-  
sideret attendit homo. Quam mentis cœcitatem  
vbi perspicuis Scripturæ testimonij demonstraueri-  
mus, inficiari nemo poterit, nullam prorsus esse men-  
tis in conuersione animæ συνέγνω. Iohannes 1. & 3.  
Cap: totum genus humanum adpellat tenebras: So-  
lum vero filium Dei lucem. Constat autem loqui Euangeliū  
de luce monstrante salutis viam. Et diserte ad-  
dit: Lux in tenebris lucet, Et tenebrae eam non ad-  
prehenderunt. Eodem modo & Zacharias loquitur.  
Lucæ 1. Visitauit nos oriens ex alto, vt illucescat his qui  
in tenebris & umbra mortis sedent. Iesa: 9. Populus

G 2 qui

qui sedet in tenebris vident lucem magnam. Col : 1. Qui eripuit nos ex potestate tenebrarum. Quum igitur tota hominis sapientia, non aliter quam tenebrae a Deo damnetur, quid possunt haec tenebrae cooperari ut noua lux menti adfulgeat?

Si quis putet esse aliquid obscuritatis in locutione figurata audiatur plana vox Pauli. 1. Corint : 2. Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. Stultitia enim sunt ei: Et non potest cognoscere, quia spiritualiter disjudicantur. Non solum noticiam, verum etiam facultatem spiritualia intelligendi & perecipiendi ei demit. Item 1. Corinth : 2. Quae oculus non vident, nec auris audiunt, neque in cor hominis ascenderunt, ea preparauit Deus his qui diligunt eum. Ergo uniuersa regni Christi beneficia prorsus remota sunt a sensibus humanis, 1. Corint : 3. Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum: scriptum est enim, Qui comprehendit sapientes in malitia sua. Et Iob. 5. Psal : 94. rursus: Nouit Dominus cogitationes sapientum quod sint vanae, id est, Cum ratio persuaderet sibi se sapientissima de Deo cogitare, inquirit quis sit Deus, conatur scrutari eius voluntatem, & cultu ipsum placare, tum stultiissime hallucinatur, 2. Corinth : 3. Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum aliquid tanquam ex nobis, sed sufficiencia nostra ex Deo est. Atque hic Paulus iam renatus, possidens primitias Spiritus sancti, tam humilem edit confessionem: Quanto magis necesse est idem de homine non renato, submerso adhuc in tenebris, fateri?

Huc & illa testimonia pertinent, Psal : 53. Dicit insipiens in corde suo non est Deus: Deus de celo, prospexit.

spexit super filios hominum, ut videat an sit intelligens,  
aut requirens Deum. Omnes declinauerunt simul inutis-  
les facti sunt. Grauissimum est hoc testimonium. Nam  
ipse Deus fatetur se de cœlo considerasse genus huma-  
num, & neminem inuentum qui intelligat Deum. Ac  
potius labi homines in eum furorem ut statuant non esse  
Deum: licet eius vestigia ante oculos videant, Psal : 116.  
Dixi in consternatione mea : Omnis homo mendax, id  
est, omnium hominum cogitationes de Deo & salute  
eterna, nihil sunt nisi mendacia & errores.

Adhæc clarissima testimonia, quæ nihil nisi tene-  
bras, cœcitatem & mendaciam tribuunt humanæ menti in-  
rebus diuinis, addantur & fulmina illa filij Dei, quæ plaz-  
ne prosterunt totam rationis arrogantiam non agnos-  
centis suam caliginem. Matth. ii. Nemo nouit patrem, Matt: ii.  
nisi filius: Et cui filius voluerit reuelare. Iohan: 14. Ne-  
mo venit ad patrem, nisi per me; Iohan: i. Nemo Deum  
vidit vñquam. Iohan: 9. In iudicium veni in hunc mun-  
dum, ut qui cœci sunt videant, & videntes cœci fiant.  
Hæc clarissima testimonia, euidenter docent, mentem  
humanam quo ad spiritualem Dei, & salutis cognitio-  
nem talpa atq; Leberide cœciorem esse. Vnde igitur vis  
illa liberi arbitrij, quæ operam suam in hominis conuer-  
sione Spiritui sancto coniungere, arroga[n]ter prædicatur,  
ordietur? Cum non solum omni luce sit destituta, verum  
etiam ipsa facultate videndi orbata, atq; insuper stultitia,  
qua lucem spiritus in verbo oblatam auersetur referta  
sit.

Si quis hic dicat, At Spiritu sancto mentem illu-  
strante, an non tum homo sua cogitatione Deum & pro-  
G 3 missio-

missionem inelligit? ei respondeo, mentem in conuersione, omnino intelligere & intueri Dei clementem voluntatem: Verum vnde hæc noua facultas & noua lux in mente sua origine cœca, tenebrosa, mendaci existat: Vtrum ex reliquijs innatae lucis, an vero ex sola Spiritus sancti operatione, quæritur.

Hactenus citata testimonia reuincunt, ne tenuissimam quidem scintillam, ex mente ostendi posse: Quod vero Spiritus sanctus eius sit author, infinitis docetur dictis scripturæ. Iesa: 54. Iohan: 6. Et erunt omnes docti à Domino. 2. Corinth: 4. Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ, &c. Confert Paulus cordis nostri illuminationem cum prima creatione lucis. Ut enim dicente Deo conditore fiat lux: mox orta est lux in tenebris occupantibus terram: sic in reparatione animæ per Spiritum sanctum creat nouæ agnitionis sui radios in hominis mente. Ephe: 1. mentionem vestri facio in precibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi & pater gloriæ, de te vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in cognitione ipsius, oculos mentis vestrae illuminatos, vt sciatis quæ sit spes vocationis vestræ. Psal: 34. Domine in lumine tuo videbimus lumen.

Ac ne quis cauilletur præcipuas partes hic agere Spiratum sanctum, non tamen nihil agere rationem: Christus ex antithesi rationem prorsus excludit & soli Deo hoc munus tribuit. Matthæi 16. Caro & sanguis, hoc tibi non reuelarunt, sed Pater meus qui in cœlis est: Carnem & sanguinem adpellat totum hominem atq;

atq; supremas animæ vîres. Deut : 29. Nondum vobis  
dedit Dominus cor intelligens, & oculos videntes, &  
aures audientes usq; in præsentem diem. Ierem : 24. Et  
dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus. 1. Co-  
rinth : 12. Nemo potest Iesum dicere Dominum, nisi in  
spiritu. Atq; hinc est quod passim in Prophetis Spiritus  
sanctus adpellatur spiritus sapientiae & scientiae, quia per  
ipsum pater docet nostras mentes. Ex his iam manife-  
stum est prorsus nullam esse mentis in conuersione ho-  
minis Synergiam seu cooperationem: Probauimus enim  
totam rationem nihil nisi caliginem & tenebras esse, &  
quidquid gignit ratio ex se se nihil nisi mendacium esse,  
& rem à Deo damnatam: Vnde Moïses inquit, Gene: 6.  
figmentum & cogitationem cordis humani malam esse.  
Nisi igitur quis eo vesaniae deueniat, ut fingat mendacia  
cooperari in efficienda hominis salute, certe fatendum est  
hominis hic nullam inueniri Synergiam. Deinde ostens-  
sum est, solius Dei beneficio aperiri mentis oculos, ut Lu-  
cas de Lydia scribit. Act : 16. Et aperuit Dominus cor  
Lydiae, ut attenderet quæ dicebantur. Et Paulus pro  
Colossensis orat, ut impleantur cognitione voluntatis  
Dei, in omni sapientia & intelligentia spirituali. Ergo  
hinc cum exclusa sit prorsus superba Synergia, videa-  
mus nunc an locum aliquem obtineat in voluntatis  
conuerstione.

II. Argum: Ut in mente prorsus nihil lucis est re-  
liquum, quo intelligere possit ex se bona regni Christi:  
Ita nec in voluntate prorsus nulla restat facultas vel <sup>regis</sup>  
<sup>intelligere</sup>, qua se vel ad gratiam adplicare, vel eam ex-  
petere, vel ei annuere, & adsentiri, vel ad eam se ex-  
tendere.

tendere vel leuissimo motu inclinare possit : totum vero  
id quod voluntas vult, & accipit salutem ostensam à spi-  
ritu, solius Spiritus sancti est opus. Hoc ipsum è scripturis  
sacris conuincere non est magni laboris. Nam Pro-  
phetæ paſſim ita describunt hominis cor : hac vero ad-  
pellatione & mentem & voluntatē, & totam animæ vim  
comprehendi dubium non est : vt adſirment esse, in circu-  
cumcisum, intractabile, lapideum, quauis īcude & quo-  
uis adamante durius. Quia increpatione quid aliud vo-  
luerunt Prophetæ, quam vt indicarent, adeo auersam &  
aduersam Deo esse hominis voluntatem, vt nulla ratione  
ad Deum reduci posset, nisi ab ipso prorsus immutaretur.  
Iesa : inquit 48. Sciuī quia durus es tu : Et neruus ferreus  
ceruix tua : Et frons tua ærea. Ierem : 6. Et erubescere  
nescierunt. Ezech : 11. & 36. Et auferam cor lapideum de  
carne vestra : & dabo vobis cor carneum. Ieremias vero  
testatur huic lapideo, peruerso & distorto cordi ac vo-  
luntati hominis, non solum leuiter inspersam seu īſtilla-  
tam esse maliciam, sed multo magis stylo ferreo & vngue  
adamantino īſculptum esse peccatum, vt non possit nisi  
ab ipso spiritu eradi.

Iere: 17.

Quomodo igitur hæc tanta duricies ex ſeſe mollescet? Si enim vel puſillo nutu ex ſeſe adſentitur mortis  
bus Spiritus sancti, iam non tota voluntas lapidea, ſed  
pars eius aliqua non ſolum carnea, ſed & ſpiritualis erit.  
Est enim quiddam ſpirituale, annuere gratiæ, adſentiri  
verbo & præeuentem ſpiritum vltro comitari. Negari  
certe non potest idcirco vocari cor hominis lapideum,  
quod ex ſeſe hanc mollitiem inclinandi ſeſe ad Deum  
non habeat, vt Augustinus testatur: Ipsiſ cor lapideum  
non

non significat nisi durissimam voluntatem, & aduersus Deum omnino inflexible est: Ideoq; Deus per Eze. & lib: chielem promittit se daturum spiritum, qui hanc incude arbit: duriorem voluntatem emolliat, & legem Dei ei inscribat. Imo tantum abest ut hæc ænea voluntas præbeat se se tractabilem spiritui, ut hoc vnum agat, ut sese aduersus Deum induret, & peccati vinculis sese fortius constrinxat.

Huic adfīne est quod Paulus 2. Cor : 3. voluntatem hominis non renati confert non tantum vacuae Chartæ, in qua nihil sit scriptum, verum etiam tabulae lapideæ, in quam per prædicationem Euangelij agnitus Dei scribi nequeat, nisi prius per Spiritum sanctum voluntas ipsa mutetur & ex lapidea fiat carnalis, id est, flexibilis & idonea ad recipiendos motus spirituales. Excipiet hic forsitan alius, tantum Iudaici populi duriciem & refractarium animum accusari a Prophetis: Is vero rursus expedit quod si in Israelitis, qui fuerunt ex sanctissimis partibus orti, qui erant semen benedictum, populus & peculium Dei, sacerdotale regnum, gens sancta, &c: Si in his fuit cor lapideum & frons ænea, quæ nesciuenter eruere, quanto magis hoc de gentibus ac toto genere humano est fatendum? Nec obscure ostendit Propheta se de omnibus loqui, qui per Spiritum sanctum ad Deum sint conuertendi.

III. Argum: Verum nequis suspicetur minus esse authoritatis in hac figurata locutione, quod cor dicatur lapideum, mens cœca, frons ænea, ceruix ferrea, &c. magis proprias locutiones Prophetarum expendamus. Non diffitebuntur Synergiaæ patroni, ad sensum voluntatis

tatis vel nutum, quo accipitur gratia, vel inclinatio fit ad eam; esse quiddam congruens diuinat voluntati, & non esse peccatum. Si enim est peccatum iam nihil iuuat conuersionem ad salutem. Si vero non est peccatum, concludo non oriri hoc bonum ab homine veteri, non renato, neq; à libero eius arbitrio.

*Psal: 51.* Vniuersa enim scriptura testatur, totum hominem nihil esse nisi peccatum, semen Satanæ, & filium iræ Dei. Ita vt recte dixerit Chrysostomus: Omnis homo non solum naturaliter est peccator, sed totus est peccatum. Et Ierem: inquit: Cor hominis peruersum, ærumnosum & inscrutabile, Gene: 8. Omne fermentum cordis humani, est malum omni tempore, Psalm: 51. Tibi tantum sum peccatum. Hæc enim sententia non hyperbolice sed verissime in versu est reddita,

Ante tuos oculos nil nisi culpa sumus.

*Iohannis 3.* Quidquid ex carne natum est, caro est, Iohan: 6. Caro non prodest quidquam: Spiritus est qui vivificat. Hæc testimonia euincunt non solum partem aliquam hominis peccato labefactatam, vel infectam esse, sed totum hominem ita perfusum & occupatum peccati lepra, vt nulla eius portio ab hac parte sit immunis: atq; ideo nihil prorsus ab homine profici sci posse, quod non erosum, contagio infectum & peccato sit maculatum. Quid posset dici disertius quam illud: Quidquid ex carne nascitur caro est. Ergo si adsensus vel nutus ille spontaneus ex vi liberi arbitrij

bitri proficiscitur, certe ex carne est natus: Caro enim totum significat hominem absq; renascentia. Si vero ad sensum ex spiritu esse fateris, ergo nihil agit liberum arbitrium in sui conuersione.

Ac fingatur quiddam leuissimum quod faciat ad receptionem gratiae, quamprimum id libero arbitrio seu veteri hominis voluntati adsignaueris, iam damnaueris. Quidquid enim non est ex fide, est peccatum. Roma: 14. Si quis ergo fingat inesse voluntati vim ex se se ad sentiendi mouenti Spiritui sancto: quid aliud agit quam quod authoritatem dicti Paulini eleuat: Initium enim fidei est hic ad sensus, qui non potest peccatis, nisi absurdissime anumerari: ex quo patet hunc ad sensum exoriri non posse a homine nisi peccatum ex se se gignente, sed a Spiritu sancto donari, & accendi. Non sitne causa inquit filius Dei: Arbor mala non fert bonos fructus. Ergo cum tota hominis natura sit putrida & pessima arbor, certe ex se hunc nobilem fructum spiritualis ad sensus producere nequit.

III. Argum: Non sunt hyperbolicae figurae, sed potius grauissimae querelae de miserijs humanae naturae; quod tantis verborum fulminibus testantur Prophetae, genus humanum venundatum esse sub peccato. Roma: 7. Iesaiæ 52. Hominem esse mancipium & deuinctum seruum peccati. Iohan: 8. Roma: 6. ac sub tyrannide peccati, mortis & Satanæ, quo ad vniuersas vires eius, adeo captum & adamantis vinculis constrictum esse, ut nihil cogitare, nihil experire,

tere, nihil velle, nihil conari possit, nisi quod ad interitum  
ferat. Psal : 126. Conuerte Domine captiuitatem nostram,  
Psal : 14. Cum auerterit Dominus captiuitatem plebis sue,  
exultabit Iacob. Iesa : 61. Ut mederer contritis corde, &  
prædicarem captiuis liberationem & clausis apertioem.  
Iesa : 49. Psal : 68. Ephe : 4. Captiuam duxit captiuitas  
tem. Gal : 3. Rom : 11. Conclusit Deus omnia sub incre-  
dulitatem.

Hæ acerrimæ ac vehementissimæ conciones Pro-  
phetarum & Apostolorum, quibus adserunt totam hos-  
minis naturam carcere peccati captiuam teneri, & Do-  
mino Satanæ esse subiectam, quomodo constabunt, si alia  
qua est vis reliqua in homine, qua se se ad gratiam adplie-  
care & peccati seruitutem excutere potest? quid aliud  
erunt illa tristissima pondera verborum, quam inania ter-  
riculamenta, falsæ quærelæ, hyperbolæ, & ineptæ ex-  
aggerationes? Si enim in hominis est potestate, ut vel  
adseriendo verbo restituatur libertati, vel respuendo  
oblatam gratiam hæreat in sordibus peccati, falso adseri-  
tur, quod sit peccati mancipium: quodq; mens & volun-  
tas eius ita sint obligata, ut nihil nisi malum intelligere &  
velle possint. Cur igitur inquit filius Dei? Si vos filii  
liberauerit, vere liberi eritis: Si filius vos non libera-  
uerit, moriemini in peccatis vestris: Non agit hic tan-  
tum de liberatione à morte & ab ira Dei, sed poti-  
sum de liberatione à seruitute peccati. Hanc dicit illis  
non contingere nisi per ipsum. Nulla igitur libertas est  
voluntatis ex se à peccato discedendi, & gratiæ adse-  
tiendi.

Neg<sup>r</sup> singendum est, tenues quosdam igniculos la-  
tere

tere inter cineres imaginis Dei in homine, qui si exciten-  
tur, aliquid agant. Si enim vel tenuissima facultas tribua-  
tur libero arbitrio, iam necesse erit in homine poni cau-  
sam, quæ fideles à reprobis discernit. Atq; ita penes ho-  
minem erit excutere peccati Dominum, vel sub eo hæ-  
rere. Qualis vero illa est seruitus quam per te possis amo-  
liri, modo admonearis & exciteris. At longe aliter de  
miserijs generis humani concionantur Prophetæ.

In singulis dictis Propheticis & Apostolicis vtpote  
diuinis oraculis grauiissima verborum pondera sunt ex-  
pendenda. Gal : 3. Sed conclusit scriptura omnia sub pec-  
atum, ut promissio ex fide Iesu Christi detur credentia-  
bus. Antequam veniret fides, sub lege custodiebamur,  
conclusi in fidem quæ reuelanda erat. Scriptura inquit  
conclusit, id est, Non solum præmitur hominum natura  
mortis imperio, & tyrannide Satanæ, non solum accusa-  
tur propriæ conscientiæ iudicio, sed diuina accedit autho-  
ritas, quæ nullo prætextu refutari, nulla ratione respui,  
vel evitari potest: Nam secura & immota sententia le-  
gis, plus quam adamantinis vinculis constringit homi-  
nem sub maledicto: adeo ut nullius creaturæ viribus hic  
cancer effringi possit: Siquidem Dei veritas est æterna.

Concludit autem scriptura non solum omnes ho-  
mines, tam Iudæos quam Gentes, sed O M N I A sub  
peccatum, id est, vniuersas humanæ naturæ vires, cum  
mentem, tum voluntatem, totamq; animæ vim, & omnes  
cordis motus: quidquid ab ipso ἡγεμονίᾳ proficiscitur  
omnes cogitationes, consilia, ad sensus, nutus, conatus, de-  
sideria, studia, inclinationes, officia, affectus & quidquid

H 3 tandem

tandem in homine existit, id totum est vinculum atq; constrictum iudicio & accusatione legis : idq; sub peccatum, id est, talis est hæc miserrima captiuitas, vt homo nihil possit nisi peccare : Mens nihil intelligit nisi errores de Deo & mendacia : Voluntas est Satanæ mancipium, prorsus alienum à lege Dei. Nec potest voluntas aliud vel expetere, vel adprobare, vel velle, vel conari, vel tenuissimo desiderio optare, quam peccatum. Vnde & Paulus inquit, 2. Timot : 2. Non conuersos teneri captiuos laqueis Diaboli, ad ipsius voluntatem. Quomodo igitur ex hoc carcere sese subducet mille catenis vincita Synergia ? quomodo Dominum peccati excutiet ? quomodo sese in libertatem vindicabit miserrima voluntas, qua non solum morti, peccato, & Satanæ seruit : Et insuper premitur legis maledictione & ira Dei : verum etiam voluntarie & sponte seruit peccato, & hoc Domino gaudet ? Ergo vt vere liberetur homo, non est satis offerri ipsi salutem, & excitari quodammodo, sed postquam omnes peccati & Satanæ laquei sunt rupti, ipsi quoq; voluntati talis <sup>is, ut</sup> per Spiritum sanctum est inspiranda, quæ velit sui liberationem, & restitutionem. Adeo prorsus nihil agit ex sese seruum hominis arbitrium in conversione ; sed totum est donum & opus filij Dei medias, qui captiuam ducit captiuitatem, Ephe : 4. ac tandem fortis gigas eripit forti & armato hosti sua arma, quibus confidebat, Luc : 11.

V. Argum : Ad fine est huic argumento, sed alio quanto validius, quod Prophetæ & Apostoli testantur hominem in hac depravatione, à natura non solum in castris peccati, vt captiuum versari : verum etiam ho-

stili

stili esse animo aduersus Deum & eius legem. Nihil profecto tristius de hominis natura dici potest: Est ea condita ad imaginem Dei, ut Deum diligenter, & omnibus rebus conditis anteferret: sed adeo destructa & peccato occupata est, ut odio Dei ardeat, & omnibus viris ei aduersetur, nihil intelligat, nihil velit, nec conetur nisi quo prouocet eius iram.

Neque vero unam aliquam partem hominis tantum inimicam Deo accusat scriptura, sed totum hominem dicit esse hostem Dei, & præcipuas eius vires θεομαχομένη. Roma: 8. τὸ φρέσκυμα τῆς σαρκὸς ἐστὶ ἔχθρὸς τοῦ Θεοῦ. Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum. οὐ φρέσκυμα, nominat Paulus præcipitam vim animæ, vis delicer, τὸ ἄγνοιαν, καὶ τὴν δρυκίην, id est, rationem & appetitum. Et quidquid hinc proficiscitur, ut cogitationes, doctrinam, studia, consilia, voluntates, adfensus & actiones, Hæc omnia dicit esse inimicitiam aduersus Deum, quæ grauissima accusatio quid aliud docet, quam totam hominis mentem & voluntatem prorsus furere aduersus Deum. Somniant quidem Philosophi restare aliquam lucem in mente, quæ nos ad optimam horum spiritus sancti & proprius nouit nostram misericordiam, & maioris est authoritatis in Ecclesia Dei. Tolerari posset sententia in vitæ civilis administratione: Sed ubi ad religionem est peruentum, hic nihil nisi odit Paulus declarationem: quia legi Dei non subdatur, ac nec potest quidem. Quomodo posset Paulus magis exuerre hominem omni facultate liberî arbitrii? Dicit hominem eiusmodi esse hostem, ut sua mente et voluntate non subdas

subdatur legi diuinæ. Ergo hoc vnum querit & agit homo quod sapientia diuinæ, & suæ saluti est aduersum. Cumq; adserit sensum carnis, id est, carnalem & non renatam hominis voluntatem non posse subdi legi diuinæ, conuincit prorsus nihil boni, nullum ad sensum vel nrum ex ipsa voluntate exurgere, licet moueat, exciteatur, moueat.

Attendat vero hic Synergia ementitæ admirator ineptus, si voluntas talis hostis est Dei à natura, ut ab ipsa lege Dei prorsus abhorreat, ad quam tamen est condita, quanto magis aduersaria erit sublimi & arcanæ doctrinæ Euangelij, quæ multo remotior est ab ingenio humano quam lex diuina? Non igitur minus absurde fingitur hominis voluntatem in sui conuersione aliquid agere & cooperari, quam si contuleres ex odio Dei sponte nasci amorem erga Deum: & hominem furentem ex se sobria & salutaria concipere consilia. Ergo testimonia quæ adffirmant hominem à natura ardere odio Dei observentur. Roma: 5. Cum hostes essemus, Deo reconciliati sumus per mortem filii sui, Iohan: 3. Vos ex patre Diabolo estis, Iohan: 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est. Ephe: 2. Abolens inimicitiam in se. Jacob: 4. Amicitia mundi est inimicitia aduersus Deum.

Hæc cum manifesta ac certa sint nulla Sophistica eludi possunt. Si enim totum hominis cor odio & inimicitia aduersus Deum reservatum est, non potest in eo vlla vel inclinatio vel flexus existere naturæ bono, quo se adplicet ad Deum. Atq; hinc aestimari potest qualis sit illa sycophantia patronum Synergia, cum vociferantur, fingerentur.

tingere nos, quod Deus conuertat hominum voluntates obluctantes, inuitas, & repugnantes. Cum enim fiat conuersio, iam necesse est accendi in homine consensum, & voluntatem accipientem beneficia oblata. Si tota voluntas obluctaretur perpetuo iam nulla fieret conuersio. Verum hic scinditur voluntas vel potius totus homo in duas partes; in veterem & nouam creaturam.

Vetus homo sui semper est similis, delectatur peccato, resistit spiritui, & concupiscit aduersus eum. Non solum igitur ante conuersionem totus homo hostiliter Deo repugnat: verum etiam in ipsa conuersione, quia de veteri homine manent reliquiae, existit quedam repugnantia aduersus spiritum: Ex qua lucta illa acris & ciuile illud bellum in homine renato existit. Et quam in homine renato quotidie magis premitur, resecatur, atteritur & enecatur vetus Adam: tamen quia stirpis non euellitur ante mortem, in qua reliquiae absorbentur: perpetuo manet in homine renato & ad Deum conuerso, aliqua obluctatio siue repugnantia. Qua de causa Paulus hortatur, ut spiritu actiones carnis mortificemus, Roma: 8. vtq[ue] spiritu aduersus carnis desideria pugnemus. Gal: 6.

Iam vides qualis sit Sycophantia, quod quæritur an statuamus hominem repugnantem conuerti. Quatenus enim conuertitur non repugnat, sed plane vult & accipit liberationem. Quod vero ad veteris hominis originem & reliquias attinet, illae oblistunt & Spiritui sancto, & nouo spiritui creato. Recte dicit August: Deum & De bono auersas, & aduersas ad se conuertere voluntates. Item, persuader:

**Ad Bonif: cont: duas Epist: Pel: ad Boni: lib: 4.** Oramus ergo  
lib: 4. non solum pro nolentibus, verum etiam pro repugnante-  
tibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi vt fiant  
ex nolentibus, volentes, ex repugnantibus consentientes,  
ex oppugnantibus amantes. Trahit igitur Deus nolente-  
tem: sed non vt relinquat in eo prorsus obluctantem  
voluntatem, sed ex nolente facit volentem, dum in eo  
efficit bonum velle: Quod nisi daret Deus perpetuo  
manneret totus homo acerbus Dei & suæ salutis hostis.  
Repudiandum est Chrysostomi dictum, quod toties  
repetit: Trahit Deus sed volentem trahit. Certum  
est enim quod Chrysostomus intelligat voluntatem sua  
sponte ex sece comitantem. Potius ita trahit Deus, vt  
ex nolente volentem faciat, atq; ipsum velle salutem in-  
stillet. Ac tum quidem cum dedit hanc facultatem in-  
trahit omnino volentem & cum libertate spiritus se-  
quentem. Verum ea voluntas pedissequa non est ex ar-  
bitrio, quod seruum potius quam liberum est, sed ex ope-  
ratione Spiritus sancti.

**VI. Argum:** Adde quod vniuersa scriptura Pro-  
phetica docet hominem non solum labore peccati adspes-  
sum: nec tantum vires eius labefactatas, & conuulsas: sed  
plane mortuum & in peccatis extinctum esse. Hoc sane  
omnium est efficacissimum argumentum ad proterene-  
dum falso nominatum liberum arbitrium, & ad enecan-  
dam superbam Synergiam. Nemo adeo delirus est vt  
creaturam extinctam sponte sua reuiuscere. At omnes  
Prophetæ clamitant emortuum esse liberum arbitrium,  
totum hominem prorsus carere vita spirituali. Nihil itaq;  
absur

absurdius dici potest, quam in conuersione hominis, in qua retrahitur ex infernis & viuificatur, esse quandam hominis cooperationem. Hic enim non solum creaturæ, verum etiam emortuo cadaueri tribuitur, opus viuificationis, quod solius omnipotentis Dei munus est.

Aut igitur ostendendum est hominem non esse penitus mortuum, sed tantum vulneratum? Aut fatendum prorsus nullam esse voluntatis in conuersione actionem. Satis notum est non agi hic de vita corporali, vel animали; sed de æterna & spirituali, qua anima cum Deo vivit. Nec iuuat patronos Synergiaæ quod discernunt inter mortem Diaboli, & anime. Ex eo enim quod constat animam prorsus mortuam in peccatis, & omni vita spirituali careare, concluditur fortissime, nihil omnino cooperari voluntatem ex se, in conuersione & viuificatione sui, sed meum esse subiectum patiens, quod refingitur & reformatur per spiritum.

Testimonia de morte hominis in promptu sunt, Gene 3. morte morieris. 1. Cor: 15. Quemadmodū in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. Ephes: 2. Cum peccatis mortui essemus viuificauit nos cum Christo. Coloss: 2. Vos existentes mortuos in peccatis, & in præputio carnis vestræ viuificauit cum Christo. Iohan: 6. Nisi comederitis carnem filij hominis non habetis vitam in vobis. Luc: 9. Sinite mortuos sepelire mortuos. Ioh: 3. Qui non credit in filium non videbit vitam. Hęc perspicua testimonia cū infringi nequeant, satis clare liquet, nullas partes tribui posse voluntati in conuersione. Quid enim ager? quomodo vel levissimo nutu adsentientur; quomodo se inclinabit ad gratiā emortua et cadauer

rosa voluntas, omnis vitæ prorsus expers? Nisi vos Filius liberauerit, inquit Christus, Iohan: 8. moriemini in peccatis vestris. Ergo labi nouit consurgere nescit voluntas. Certe motus & vitæ signum est vel pusillus ad sensus, seu leuiculus nutus, quo adprobatur vel accipitur gratia. Frustra igitur hæc actio queritur in emortua hominis anima, & protrito libero arbitrio. Quin potius agnoscimus æterni patris beneficentiam, qua nos propter vnigenitum filium per Sp̄iritum sanctum in vitam res uocat, & nouam dat facultatem voluntati, qua bonum in promissione gratiæ oblatum velit & accipiat.

VII. Argum: Atq; hinc est quod Prophetæ & Apostoli hominis conuersionem & renouationem, de quibus nunc coniunctim agimus, adpellant Regenerationem, nouam creationem, viuificationem, transformationem: quo loquendi modo docent conuerti & reparari hominem non vi aliqua liberi arbitrij, sed solius Dei omnipotentia, & immensa virtute. Nemo adeo delirat, ut cogiter eum qui nascitur aliquid praestare ad sui generationem, cum ne ad sensus quidem eius ad hoc requiratur: immo cogitare nequit nisi cum natus est. Quæ igitur absurditas est, ad hominis regenerationē oportere ipsius hominis accedere consensum: An putandum est minus quiddam esse regenerationē, quam opus generatiois: An non per illam vita tribuitur in æternū duratura, per hanc vero fluxa & mox peritura vita datur? Ut igitur genere respectu hominis qui nascitur mera est passio: Sic qui conuertitur tantum patiens est subiectum, absq; omni sua actione, ex se oriente. Qui vero regenerat hominem spiritus est, Iohan: 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua

aqua & spiritu, non intrabit in regnum Dei. Tit: 3. Sed secundum misericordiam suam salvavit nos per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti. 1. Pet: 1 Renati non ex corruptibili semine, sed incorruptibili, per sermonem iuuentem Dei, & manentem in secula.

In hanc sententiam Dauid nostram conuersionem adpellat creationem. Psal: 51. Cor mundum crea in me Deus. Et Paulus 2. Corinth: 5. Si quis est in Christo, hic est noua creatura, Gal: 6. In Christo Iesu neq; præputium, neq; circumcisio valet, sed noua creatura. Iesa: 66. Sicuti nouum cœlum quod creo, sic semen vestrum. Quid igitur aliud moliuntur defensores liberi arbitrij, quam quod amplissima opera creationis, quæ solius Dei sunt vanissimo idolo, nimirum emortua voluntati, adscribere tentant? Ipsa nos creatio prima posset ac deberet admonere, ne quam Synergiam in hominis regeneratione fingeremus. Credo neminem diffiteri totum creationis opus solius Dei esse absq; nostra cooperatione. Condidit nos Deus ex terra, inspirauit animam, accendit visam, infudit menti lucem, formauit voluntatem, & donauit liberam  $\tau\varphi\alpha\zeta\varphi\sigma\tau\mu$ . Nihil hic nobis vendicare possumus, nihil adiuuimus Deum ut fieremus. Iam pro mulgato Evangelio noua salus & vita patescit, prorsus noua ratio ad Deum perueniendi monstratur: Ergo solius Dei est, ut nouos hic fingat nos homines, præsertim depravatos peccato, instillet nouam menti lucem, reformat atq; refingat voluntatem, ut sit huius nouæ salutis capax. Non enim minus admirandum est hoc opus reparationis, quam primæ creationis.

Recte igitur Lutherus inquit: Sicut homo antes de seruo

quam creatur, vt sit homo, nihil facit aut conatur vt sit  
creatura: Deinde factus & creatus nihil facit aut cona-  
tur, quo perseveret creature; sed vtrumq; fit sola voluntate  
omnipotentis virtutis & bonitatis Dei, nos sine nobis  
creant, & conservant: Sic homo antequam renoue-  
tur in nouam creaturam regni spiritus nihil facit, nihil co-  
natur, quo paretur ad eam renouationem & regnum.  
Deinde recreatus nihil conatur quo perseveret in eo reg-  
no: sed vtrumq; facit solus spiritus in nobis, nos sine  
nobis recreans & conservans recreatos. Huic senten-  
tiae congruit illud August: Tunc ergo efficiimur vere  
liberi cum Deus nos fingit, id est, format & creat, non vt  
homines, quod iam fecit, sed vt boni homines simus, quod  
nunc gratia sua facit, vt simus in Christo Iesu noua  
creatura.

Enchrid:  
ad Lau-  
rent:

Ac nisi esset haec conuersionis nostræ ratio, non ad-  
**Iesa: 45.** modum concinne a Prophetis & Apostolis istæ simili-  
**Iesa: 64.** tudines usurparentur, in quibus nos luto Deum figulo  
**Roma: 9.** comparant. **Iesa: 64.** Et nunc Domine tu pater no-  
**Ierem: 15.** ster es, nos lutum tu figulus. **Ierem: 18.** Sicut lutum in  
manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel. Et ne  
quis cauilletur hanc similitudinem alio respicere, Pau-  
lus eam, **Roma: 9.** huic disputationi accommodat.  
**Ose: 6.** In Osea, inquit Dominus: Propter hoc dolauit eos  
in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei: qua  
voce hominem non renatum truncu confert, qui vt  
in statuam formetur nihil praestare potest. Est quia  
dem magna dissimilitudo hic: non enim absq; motu  
est homo vt lутum vel truncus, sed tamen hoc do-  
cet haec comparatio nullam esse veteris hominis actio-  
nem,

nem, quæ eius conuersionem promoueat. Imo tan-  
to peior est homo truncus, quod non solum non adiu-  
uat sui reformationem, verum etiam quantum in se est  
oblitus spiritui antequam conuertatur. Ideoq; Pro-  
pheta non contentus voce (Dolau) addit occidi eos in  
verbis oris mei; Ut ostendat oportere auferri prorsus ve-  
terem & peccato infectam naturam.

VIII. Argum: Si quis veretur ne quid sit ob-  
scuritatis in his comparationibus, is planissimas ac diser-  
tissimas Prophetarum conciones expendat, in quibus  
demonstratur fidem, quæ vnicum est instrumentum,  
quo coram Deo iustificamur & spiritum viuificantem  
accipimus, solius Dei esse donum & opus, absq; nostræ  
voluntatis Synergia. Est enim fides agnitus veri Dei  
& intellectus diuinæ voluntatis in Euangeliō patefactæ,  
& simul adsensus ac fiducia qua voluntas accipit remis-  
sionem peccatorum, imputationem iustitiae, Spiritum  
sanctum, viuificationem, & vitæ æternæ hæreditatem do-  
nata gratis ex misericordia Dei propter mediatorem fili-  
um Dei Iesum Christum.

Hæc igitur fides quæ est præcipua pars' con-  
uersionis, & regenerationis instrumentum nostri re-  
spectu, si est solius Dei opus, hominē ex vi liberi arbitrii  
nihil ad eam conferente, sequitur hominem in sui con-  
uersione nihil cooperari. Quod vero solius Spiritus san-  
cti sit munus dicta illa docent. Ephes: 2. Gratia salua-  
ti estis, per fidem; idq; non ex vobis, Dei vero dos-  
num est, id est, Non solum gratuito nobis confertur  
remissio peccatorū & salus, sed & fides per quam adpres-  
hendimus salutem, non est ex nostris viribus, sed Dei dos-  
num,

num, non ex operibus ne quis glorietur. Phil : 1. Confido  
quod qui incepit in vobis opus bonum, idem & perfic-  
ciet usq[ue] in diem Iesu Christi. Pil : 1. Quia vobis datum est  
per Christum, ut non solum credatis in ipsum, sed & pro  
ipso patiamini. Phil : 2. Deus est qui operatur in vobis &  
velle & operari pro bona voluntate, ad H[ab] : 12. Respi-  
cientes ad ducem & consumatorem nostrae fidei Iesum.

Quæcum manifesta sint, inficiari nemo potest totam nostram conuersionem à solo Deo proficiunt, nihil ad eam operante nostra voluntate ex se. Si enim singatur leviculum quendam vel nutum, vel inclinationem, vel adsensum, vel desiderium concurrere ad conuersionem, qualecumq[ue] & quantulumcumq[ue] id erit, aut necesse est partem esse fidei, atq[ue] ita Spiritus sancti opus: aut non esse ex fide, ex quo sequeretur peccatum esse teste Paulo, Ro-  
ma : 14. quod absurdissime diceretur: aut erit fidei iam accensus fructus, atq[ue] ita erit non veteris hominis, sed res natæ voluntatis spiritualis actio. Rursus igitur hic ex-  
clusa est superba Synergia, quæ dum contendit Spiritus sancti operas sibi vendicare, se prodit, quod non spontanea pedissequa, sed ferox & arrogans aduersaria sit Spir-  
itus sancti.

Rectissime dictum est in Augustana confessione articulo 5. Nam per verbum & Sacramenta tanquam per instrumenta donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est Deo in ihs qui audiunt Euangelion. Sic & laudanda est interpretatio verborum Pauli, ad Ephe : 2. Gratia salutis estis, per fidem: idq[ue] non ex vobis, Dei donum est: quam Lombardus lib : 2, dist : 27.  
*ex ves*

ex veteribus scriptoribus citat. Quod inquit à sanctis ita exponitur : Hæc scilicet fides, non est ex vi naturæ nostræ ; quia donum Dei P V R E est. Ergo nihil hic confert liberi arbitrij Synergia , vt fides in animo hominis, plantetur, radices agat,& crescat. Plane hic nobis consensit Augustinus : Et ipsum igitur initium fidei nostræ, deest : <sup>De p</sup>erfectio : <sup>san</sup>ctus inquit ex quo nisi ex ipso est. Et paulo post : Fides igitur & inchoata & perfecta Dei donum est. Et Prosper de ingratis.

Vsc̄ adeo donum est quod credimus : Et data gratis  
Gratia, non merita dicit mercede vocatos.

Hæc igitur cum tam firmo nitantur fundamento, mirum est quid tandem superba Synergia sibi arroget. Si gloriatur ex hominis libero arbitrio esse quoddam salutis desiderium, vel actum efficacem, vel ad sensum qui committetur gratiam , conuelliit testimonia plena diuinæ auctoritatis. Si enim ex homine vel tenuissimus nutus proficiuntur iam fides non est purum Dei donum, sed ad eam plures causæ concurrunt, videlicet, Spiritus sanctus mouens animam, & mens & voluntas quodammodo ex secessu non repugnans sed obtemperans. At scriptura soli Spiritus sancto totam fidei operationem attribuit. Non igitur sine sacrilegio pars huius beneficij adscribitur homini,

I X. Argum : Ad hæc illustria argumenta ex Prophetarum & Apostolorum concionibus desumpta, addantur illustria & perspicua scripturæ dicta, quibus absq; omni obscuritate docetur totam hominis conversionem, & regenerationem solius Dei beneficium & donum esse absq; humanæ voluntatis cooperatione. Iohann; i. Dedit

K

eis

eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus  
neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex  
Deo nati sunt. Extra controversiam pono Iohannem  
loqui de hominis conuersione & regeneratione.  
Modum enim exponit, & quidem causam tradit effici-  
entem nostræ renascentiæ ; qua in regnum lucis trans-  
ferimur . Neq; solum adfirmat ex Deo esse hanc  
cœlestem natuitatem, verum etiam ē contrario libe-  
ri arbitrij vîres disertissime excludit . Qui non inquit  
ex sanguinibus, id est, qui non ex carnali propagatio-  
ne generantur. In hunc errorem plane submersi erant  
Iudæi, quod imaginarentur se ob natuitatem carnalem  
esse Dei populum, & eo quod semen esset Abrahæ  
reliquis hominibus esse sanctiores, cui imaginatio-  
& Iohannes resistit, cum inquit: Nolite dicere pa-  
trem habemus Abraham. Nec tantum Iudæi sed  
magna pars hominum facile concipit hanc persuasio-  
nem, vt imaginetur spirituales motus & adoptionis  
spiritum naturali procreatione filiorum transfundi in  
posteritatem, eo quod animaduertit naturæ quædam  
dona propagine deriuari in nascentes, vt dicitur: Fortes  
creaturl fortibus. Hinc est quod nati ex sanctis glori-  
antur se viciniores esse regno Christi. Est autem error  
crassus, quem hoc loco Iohannes refutat, ac docet, car-  
nalem generationem prorsus nihil salutis, vel spiritus vel  
vitæ æternæ conferre. Quemadmodum & Christus mos-  
net: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non in-  
trabit in regnum cœlorum.

Neq; ex voluntate carnis, id est, neq; ex studio,  
conatu, desiderio, cogitatione, voluntate, ad sensu, vel  
vlla

Vlla contentionē carnis, id est, hominiſ nondūm rena-  
ti: Voluntatē carniſ adpellat Iohannes liberi arbitri-  
j facultatē, & quidquid in hominē existit absq; spi-  
ritus illuminatione & motione. Caro enim totum ho-  
minem, corpus & animam significat, voluntas vero su-  
prema cordis & animae vires. Ex hac voluntate di-  
cit non nasci filium Dei: Protritum igitur & prostra-  
tum hic est falso adpellatum liberum arbitrium. Si enim  
existit aliquid in hominē, quod eius conuerſionem ad  
iuare potest id ad voluntatē referri necesse est, quam  
cum hic penitus excludat Euangelista, Synergia nullum  
relinquit locum.

Nec ex voluntate viri: Mihi dubium non est, quin  
adpellatiōne viri, iuxta Hæbreā linguae consuetudinem,  
notare voluerit viros excellentes ingenio, & præ cœte-  
ris naturæ bonitate ornatos, quasi dicat, nemo existimet  
me loqui tantum de communi plebecula, vel gentibus,  
loquor etiam de p̄fstantissima natura hominis, eiq; hanc  
laudem spiritualis conuerſionis demo. Multis passibus  
antecellunt coeteris hominibus, admirandī illi Heroes,  
Abraham, Iacob, Moïses, Iosuæ, Dauid, Elias, atq;  
etiam inter Ethnicos, Plato, Socrates, Zenophon,  
Aristides, Scipio, Lelius, Camillus, Iulius, & similes.  
Fulgit in eis præclara sapientia, acris vis ingenij, mo-  
derata natura, magnum animi robur. Nec tamen  
huiusmodi excellentium virorum voluntate, studio,  
contentione, imitatione, aut vlla vi effectum est ut filij  
Dei nascerentur. Non ideo Dauid conuertitur &  
regeneratur quia sit p̄fstantior in ipso natura quam in  
Eliab fratre, vel in rege Saule. Quantum robur animi

est in Ioab, non tamen conuertitur. Ergo nec viri alicuius voluntas regenerat hominem: Sed ex Deo inquit, nati sunt, id est, solius Spiritus sancti opus & munus est.

Hoc modo similia dicta expendantur, Iohann: 6.  
Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum, Ergo trahi inquit Augustinus a Patre ad Christum, & audire & discere a Patre, ut veniat ad Christum,  
*De praes-dest: san-  
sto:* nihil aliud est quam donum accipere a Patre quo credat in Christum. Ezech: 36. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Iesrem: 37. Dabo legem meum in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Iere: 10. Scio Domine quod non est hominis via eius, neque viri est ut ambulet & dirigit gressus suos. Ierem: 24. Et dabo eis cor ut sciant me: quia ego sum Dominus. Iesa: 35. Deus ipse veniet & salvabit vos: Tunc aperientur oculi cecorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cerius claudus. Timot: 2. An forte daturus sit eis Deus poenitentiam ad cognitionem veritatis, & resipiscant ex Diabolí laqueis. Act: 11. Ergo & gentibus dedit Deus poenitentiam ad vitam. Haba: 3. Domine opus tuum in medio annorum viuificas illud, in medio annorum notum facies. Zach: 10. Et domum Ioseph saluabo, & conuertam eos, quia misericordia eorum. Ac plenae sunt omnes omnium Prophetarum conciones huiusmodi testimonij, quibus probatur, Dei virtute & efficacia conuerti ad fidem, omnes quotquot Christum amplectuntur.

X. Argum: Et quid nam aliud volunt precatio-  
nes sancte

nes sanctorum, quibus petunt à Deo, ut hi qui per Spiritum conuersi sunt in fide stabiliantur, qui vero à pietate adhuc alieni sunt eripiantur ex Satanæ laqueis, & poenitentia illis detur, quam quod luculenter testantur, à solo Deo hanc salutem proficiisci. 1. Paral: 29. Domine Deus Abraham, Isaac & Iacob patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in veneratione tui mens ista permaneat. Salomonis quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua. 1. Reg: 8. Inclinet Dominus corda nostra ad se, ut ambulemus in vniuersis vijs eius. Ierem: 31. Conuerte me Domine, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi poenitentiam. Psal: 141. Non declines cor meum ad rem malam, ne occuper operibus iniquitatis. Ex his ardentibus precationibus pro conuersione & eiusdem conseruatione liquet, quam ea non sit in liberi arbitrii potestate, sed ad nutum diuinæ gratiæ detur ihs, qui conuertuntur.

Non sine causa in multis locis vrget hoc argumentum Augustinus, Cum Ecclesia oret non solum pro impijs nolentibus salutem, verum etiam rabiose oppugnantibus veritatem, non solum auersas, sed & aduersas hominum voluntates ad Deum conuerti. Ex quo manifestum est non ex vi liberi arbitrii prodire consensum voluntatis in conuersione, sed illum ipsum diuina clementia inspirari. Verba sunt August: Nam si fides liberi est tantummodo arbitrii, nec datur à Deo, propter quid pro eis qui nolunt credere oramus ut credant? Quod prorsus faciemus inaniter nisi rectissime crederemus, etiam peruersas & fidei contrarias voluntates, omnipotentem Deum ad credendum posse conuertere.

De gratia  
et lib:  
arbit:

**XI.** Argum : Satis multa adduximus argumenta, quibus euicimus totam hominis conuersionem & via uificationem, solius Spiritus sancti operatione effici in homine , neq; ullam Synergiam liberi arbitrij ad eam concurrere. Verum addemus duo adhuc , quæ quo<sup>d</sup>ammodo fundamentum sunt totius controuersia . Vnum de discrimine Legis & Euangelij : Alterum de Electione Dei : vtrumq; à Paulo monstratum. Quam sit necessarium discrimen, quod est inter Legem & Euangelium nihil attinet hic multis commemorare. Recte institutis in pietate notum est hanc differentiam esse lumen totius sacræ scripturæ. Nec difficile est obseruare illa discrimina toties in scripturis repetita : Quod

- I. Lex in creatione insita sit hominis menti , & si natura quodammodo nota : Euangelion vero per filium qui est in sinu patris sit reuelatum. Quodq; Lex iram operatur & augeat peccatum : Euangelion vero sit ministerium spiritus ; Corinthus : 3.

- III. Principalis vero differentia , quæ nobis nunc maxime attendenda est , huiusmodi est : Lex ita offert salutem & vitam , vt perpetuo habeat annexionam conditionem nostræ dignitatis & obedientiæ : nec aliter largitur vitam , quam si ea digni reperiatur : iuxta illa dicta , Roma : 10. Qui fecerit ea viuet in eis : At promissio gratiæ sub nulla conditione defert salutem : Sed prorsus gratuito etiam indignis , teste Paulo : Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere . Hoc discrimen si attendamus facile percipiems hominis voluntati nullam tribui posse cooperationem in sui conuersione, nisi

ne, nisi Legis & Euangelij doctrinam periculose confundere velimus.

Si enim gratia nemini datur, nisi eam accipienti, nec fides accenditur, nisi in eo qui sponte & liberi virtute arbitrij adsentitur: est igitur aliqua dignitas in homine, quam respicit Deus in distributione sua gratiae. Et habet homo conuersus in quo glorietur aduersus eum, qui in morte relinquitur: Videlicet se consensu & voluntate sua obtinuisse, ut fieret Spiritus sancti domicilium. Et quantumuis extenuetur hic pusillus nutritus voluntatis, & omne ei meritum derogetur: tantus tamen erit ut faciat discrimen inter fideles & reprobos: Nec poterit in solidum gratuita esse donatio salutis, cum hoc ipsum, quod singitur ex libero ori ente arbitrio, non possit omnis meriti esse expers. Meritum enim ab actione diuellere non solum naturae est contrarium, sed etiam legi diuinae repugnat. Et Paulus Roma: 4, diserte docet operanti non ex gratia, sed ex debito reddi mercedem. Ergo si est aliqua actio liberi arbitrij, est & meritum: si meritum iam non est gratia: alioqui meritum non esset meritum, Rom: 10. Vnde conscientius aut promissioni gratiae necessario annexi dignitatis & meriti saltet alicuius conditionem, aut conuersationem absq; vlo nostro opere, sola Dei misericordia & clementia in nobis effici.

Dicit hic forsitan aliquis, legem flagitare perfectam obedientiam, sed promissione Euangelij tantum adsensum nostrum requiri. Nequaquam hoc satis est: Si enim adsensus ex nobis est, non caret aliqua dignitate & meritis

& merito. Neq; pendebit tota salus à sola Dei gratia  
misericordia & mediatoris merito : sed ex parte aliqua,  
quantulacunq; illa erit, nostræ debebitur libertati &  
spontaneo consensu. Atq; hoc modo magna ex parte  
Euangelij promissio in legales doctrinas transformabili-  
tur. Quare ut maneat Euangeliu sua puritas, & gratia  
sit expers omnis nostræ dignitatis & meriti, & gratis des-  
tur abscq; vlo nostri respectu & consideratione fateri ne-  
cessere est : non solum remissionem peccatorum, iustitiam  
& vitam æternam gratis offerri, verum ipsam quoq; fi-  
dem, qua sola ista bona adprehenduntur, abscq; omni no-  
stro & merito & cooperatione dari & accendi Spiritus  
sancti efficacia, & pro benignissima Patris æterni volun-  
tate.

*De bono  
perseue:* Praclare Augustinus. In hac fide nata est, & cres-  
uit & crescit Ecclesia, qua fide creditur gratiam Dei non  
secundum merita accipientium dari : Si enim ex gratia  
inquit Paulus, iam non ex operibus alioquin gratia non  
est gratia. Vniuersæ igitur Prophetarum conciones qua-  
innumeræ sunt, in quibus legem ab Euangeliu discer-  
nunt, & demonstrant in promissione gratuita abscq; omni  
nostro merito, opere & dignitate donari nobis salutem,  
firmiter hanc nostram muniunt fidem, qua credimus so-  
lius Dei munus esse totam hominis conuersionem, & in  
ea prorsus nullas esse liberi arbitrij partes.

XII. Argum: Eiusdem roboris est alterum ar-  
gumentum ab electione : Ea enim nulla ratione admittit  
vt salus pendeat vel minima parte à conditione hominis.  
Nam vt scriptura multis locis testatur, ab æterno Deus  
elegit ac praordinauit, quibus fidem & salutem sit datum  
rus, vt

rus, vt Paulus Ephe : 1. Quemadmodum elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & irreprehensibiles coram ipso in dilectione: præfiniens nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum ad ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, Roma : 9. Nondum enim natis cumq[ue] nihil adhuc boni vel mali egissent, vt secundum electionem Dei propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Maior seruieret minori. Ab hac igitur electione Dei æterna cum nostra salus pendeat: Frustra queritur quid nam sit in libero hominis arbitrio, quo ex se se adiuuet sui conuersio nem. Quin magis æternum Dei propositum & vocatio hanc ipsam facultatem largitur homini mero in peccatis, & morte, & tota natura abhorrente à regno Christi, vt promissioni credat, & motioni Spiritus sancti non oblitetur. Itaq[ue] insert hinc Paulus, Ergo non est volentis neq[ue] currentis, sed miserentis Dei.

Neg[are] hoc vere dici potest, eos solum à Deo electos, quos præuiderit non obluctaturos promissioni, non enim nullius nostri meriti habita est ratio, in Electione: sed in filio Dei mediatore, id est, propter ipsum sanctorum Ecclesia prædestinata, & ad vitam ordinata est, quemadmodum Paulus testatur, Ephe : 1. Elegit nos in dilecto. Ut igitur à solo mediatore Iesu Christo omne meritum nostræ redēptionis & salutis pendet: Ita & solus Deus author, dator, & effector est nostræ fidei, qua iustitiam & vitam æternam adipiscimur.

Hic si qua humana impietas & petulantia diuinæ maiestati, & arcano consilio oblatret: Cur igitur non totum ge-

L

tum ge-

tum genus humanum elegit Deus, quæ vox iustitius compescet hanc non ferendam proteruiam, quam illa Pauli, Roma: 9. Deus cum vellet ostendere iram suam, & notam facere potentiam suam, tulit in magna patientia vas iræ parata ad interitum: Et ut ostenderet diuitias gloriae suæ erga vas misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Attendant pia mens quod Apostolus inquit: Tulit vas iræ in magna patientia. Ergo non delectatur Deus vlliis hominis perditione, sed quantum in se est, vult ut omnes homines saluentur. Deinde cur non elegerit totum genus humanum tres causas adsignat. 1. Ut iram suam aduersus peccatum ostendat, & legis suæ sapientiam stabiliat. 2. Ut notam faciat Ecclesiæ suam immensam potentiam, qua non solum deleuit immanes Ecclesiæ hostes, verum etiam tam misere depravatam naturam restituist. 3. Ut admirandam gloriam & beneficentiam suam erga vas misericordiæ illustraret.

- I.
- II.
- III.

De pres-  
dest: san:

Cum arcuum & sublimè Dei iudicium proprius à nobis aspici nequeat, ne scrutemur nobis altiora, sed in hoc verbo patefacto acquiescamus. Ac nobis sufficiat intelligere, quod non sit iniqüitas apud Deum. Nam vt Augustinus vere dicit: Cum ex uno omnes ferint in condemnationem sine dubio iustissimam; nulla Dei esset iusta reprehensio etiamsi nullus inde liberaretur. Et de bono perseue: Qui ergo liberatur gratiam diligit, qui non liberatur debitum agnoscat. Si in remittendo debitum bonitas, in exigendo æquitas intelligitur: nusquam esse apud Deum iniqüitas inuenitur. Si quis ergo amplius urget, cum omnes pariter sint obstricti peccato cur Deus hunc eligat, illum prætereat, cum Augustino fastendum mihi est, me non inuenire quid respondeam: nisi quod

quod inscrutabilia sunt Domini iudicia : Et sensum Do-  
mini quis cognouit ?

Atq; hæc ipsa est inscrutabilis iudicij diuinæ inquisi-  
tio, à qua nos diuina autoritate retrahere voluit Paulus  
cum inquit : O homo tu quis es, qui responsas Deo. Item  
O altitudo diuinarum sapientiæ & cognitionis Dei :  
quam inscrutabilia sunt eius iudicia & imperuestigabiles  
viæ eius. Ergo nihil hic sapientius discitur, quam docte  
nesciri, quæ Deus scrutari vetuerit. Quæ hactenus pro-  
duximus argumenta aduersus liberi arbitrij falsa enco-  
mia, ex Prophetarum & Apostolorum fontibus haui-  
mus. Nunc abs re non erit, si & illa argumentationum  
tela expendantur, quæ Augustinus subinde in ingratos  
gratiæ Dei hostes retorquet,

XIII. Arg: Infantes per Baptismū vere conuerti, re-  
nasci & viuiscari nemo pius ambigit. Christus enim non  
solum adfirmat talium esse regnū cœlorum, Mar: 10. Ve-  
rum etiam fidem in eis lucere testatur, Mat: 18. Qui scan-  
dalizauerit vnum ex minimis istis, qui credunt in me, vñ  
illi. Quæ nam igitur actio voluntatis vel liberî arbî-  
trij tribuetur infantibus in hac ipsorum conuersione &  
regeneratione ? Tantum abest, vt vel expertant vel velint  
lauacrum regenerationis, vt vagitu suo potius ren-  
nuant. Quod si quis imaginatur eum esse vigorem men-  
tis, & voluntatis in infante recens nato, vt sua vi aliqua  
virtutem Baptismi intelligere, & in sibi renouationem  
consentire queat, næ ille quoquis infante stupidior est.  
Soli ergo operationi spiritus est tribuendum, quod ab-  
sternit peccati fôrdibus, simul conuertitur infans, ac denuo  
gignitur ex spiritu, donatur fide, & fit noua creatura.

Frustra hic excipitur, alio modo conuersti adultos  
vitentes ratione, alio parvulos: in quibus plane sepultum  
videtur liberum arbitrium. Aliter profecto Ioseph vo-  
catur, qui in familia sanctissimi patris à teneris imbibit res-  
ligionem, & cuius aures quotidie personabant concionis  
bus diuinis: aliter Nabuchodonosor qui ad furorē prius  
redigitur ut discat fidem habere concionibus Danielis.  
Verum hæc diuersitas in externo modo vocationis nihil  
facit discriminis in ratione salutis, quam oportet prorsus  
eandem esse in omnibus sanctis: Siquidem vnum est tan-  
tum Euangelion, unus mediator, una fides, unus spiritus.  
Si Nabuchodonosor gratis absq; suę voluntatis coopera-  
tione saluatur, eadem via & Iosepho est ingrediendum.  
Ita adulti non alia ratione æternam vitam adipiscuntur,  
quam infantes: vnde & Christus inquit. Nisi conuersti  
fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in reg-  
num cœlorum. Matth: 18. Si enim parvuli gratis absq;  
omni sua cooperatione salutem adipiscuntur: Adulti ve-  
ro non nisi consentientes ex se se promissioni, iam dupli-  
cem esse & diuersam Euangeliū promissionem necesse est,  
quod cum absurdissime dicitur: neq; quisquam inficiari  
possit infantes absq; Synergia sui liberi arbitrij conuersti,  
sequitur nec in adulti conuersione & viuificatione con-  
currere voluntatis actionem, ex reliquijs liberi arbitrij  
profectam.

Euidens est & illud argumentum, quam non pen-  
deat ab illa hominis actione, nostra salus: Sed ea tota  
posita sit in liberrimo Dei arbitrio, & sapientissima ea  
demq; iustissima voluntate eius, quod adeo diuersos casus  
& exitus infantum videmus, cum omnium sit eadem ori-  
go &

go & naturæ conditio. Tenentur omnes obstricti reatu  
peccati, & sunt à natura filij iræ, omnes trahunt propagis  
nem ex Adæ damnato semine : Et tamen huic diuina cle-  
mentia contingit Baptismus quo regeneretur, ille qui pa-  
riter omni merito caret, & eiusdem est damnatae originis,  
priusquam Baptismo lauari queat extinguitur : aut alio  
casu parentum vel nutriciorum culpa impeditur, quo mi-  
nus inseratur Ecclesiæ.

Par diversitas in Baptisis reperitur, plurimi in-  
fantes percepto regenerationis lauacro, singulari Dei cle-  
mentia ex hac vita euocantur, priusquam mentem ipsos-  
rum vel occupet error, vel malicia corrumpat, vel perse-  
cuto fidem extingat. Alij vere renati, cum in pueritia  
si diem obijssent, seruari potuissent, vbi ad ætatem perue-  
nerunt, vel erroribus inficiuntur, vel in scelera prolabun-  
tur, vel in calamitatibus & fidei exercitijs deficiunt à Chri-  
sto. Quis hic non videt, in solius Dei manu sitam esse ho-  
minis salutem, neq; eam iuxta merita dari, neq; ullam no-  
stram cooperationem respici ? Quod si enim ad nostrum  
adssensum alligata esset salus, & cum hac conditione vita  
offerretur, vt nisi qui eam ex sese adprehenderet habitu-  
rus esset, flagitaret omnino æquitas Dei, vt vel nullis in-  
fantibus daret, vel vbi dedisset singulos ad iustum ætatem  
libero sensu arbitrij vtentem peruenire sineret. At nunc  
multi præueniuntur morte ne possint labi, plurimi ser-  
uantur in vita, qui sibi ipsis exitio viuunt. Vnde liquido  
patet Deum non metiri nostram salutem, ex vlo consen-  
su vel cooperatione nostræ voluntatis, sed iuxta proposi-  
tum suæ voluntatis ex immensa bonitate quibuscumq;  
vult largiri gratiam ; atq; non solum occasionem, offer-

re, verum etiam ipsam facultatem adsentendi promissio-  
ni inspirare,

XIII. Argum: Idem plane testatur, admirabilis ille cursus Euangelij, non iuxta hominum merita præcedentia, sed iudicio Dei inscrutabili nunc hanc, nunc illam gentem illuminantis. Multis seculis oppressæ fuerunt gentes horrendis tenebris, ut nihil de Deo, de Mediatore, de vita æterna intelligerent. Interea fulsit admirabilis splendor Euangelij in populo Israel. Aliás in AEgypto accensæ sunt faces doctrinæ coelestis, aliás in Chaldea, aliás in Persia & Media. Temporibus Apostolorum per totum orbem radj lucis diuinæ sparsi sunt. Rursum per multa secula densissimæ errorum tenebrae sub Antichristo occuparunt orbem. Tandem nostra ætate & quidem in Germania, quasi de cœlo allata est Dei & Mediatoris salutaris & ampla cognitio. Quis nam hu- ius diuersitatis iudicij diuini causas scrutari potest? Si dicas illos homines merito suo orbatos luce coeli, & hanc coecitatis poenam iustissime illis inflictam: verissi- me id dixeris,

At cum nostra paria sint merita: ex eodem enim damnato semine trahimus propaginem, neq; minor sed potius maior est naturæ depravatio, quam in maioribus: cur nobis aperit Deus misericordiæ suæ fontem, quem iusto quidem, sed tamen arcano iudicio maioribus tot seculis occlusit, atq; etiam num tam infinitis populis occulit? Quid hic aliud respondere possumus, quam inscrutabilia esse Domini iudicia, & nostrum esse gratissimo animo admirari immensam Dei erga nos bonitatem, & absq;

absq; omni merito collatam gratiam: in illis vero seueram, & tamen iustissimam Dei iram expauescere. Iam si hac ratione distribuit Deus salutem, ut nemini eam nisi ex se se adprehendentibus promissionem, & vi liberi arbitrij aliquid agentibus largiatur, congruum omnino erit iustitiae diuinæ, vt omnibus seculis, omnibus populis ex æquo sinat lucere sui verbi prædicationem. Altoquin quibus nihil reuelatum est, hac excusatione speciose vtentur, se quoq; adsensuros, si ipsis Euangelion reuelatum fuisset.

Ex eo igitur quod verbi sui ministerium, per quod efficax est Spiritus sanctus inæqualiter dat, demonstratur non vim liberi arbitrij causam aliquam esse acceptæ salutis, sed solius Dei, liberalem erga præordinatos in virtutem benignitatem. Cum enim Deus non singulis populis mittat verbi sui precones, ostendit se in distributione gratiæ, non quid hominis agat liberum arbitrium, sed quid inscrutabilis eius sapientia, & immensa bonitas decernat tantum respicere,

XV. Argum: Iam inter eos quorum aures grauissimis comminationibus legis, & rursus dulcissimis Euangelij promissionibus personant, mirum est non solum tam paucos, sed etiam infimæ sortis homines converti, illuminari, regenerari, & ad vitæ societatem adscisci, coeteris præstantioribus vt iudicat ratio, quorū ingenium ad discendum vividius, voluntas virtutis capacior, natura ad moderationē inclinatior, & animus ad sustinenda certamina robustior, plane relictis in morte & tenebris inferni. Quemadmodū dicta illa testantur, Matt: ii. Gratias ago tibi pater, Domine cœli & terra, quod hæc abscondisti

disti à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis : Vere pater, sic tibi placuit. 1. Cor : 1. Videte fratres vestram vocationem : Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed stulta mundi elegit Deus ut sapientes confunderet.

Hinc itaq; non obscure colligitur quam nihil inuenit hominis conuersionem arbitrium hominis. Quod si enim mentis, & voluntatis vis ex se se aliiquid conferret ad hanc operationem, facilius omnino hi conuerterentur, in quibus aliquanto maior est ingenij vigor & sagacitas : Et quorum natura minus distorta est, facilius à Spiritu sancto de legis iudicio spirituali, de sublimi sapientia Euangelij eruditiri, facilius ad adsensem impelli, facilius in amorem Dei rapi, ad concipiendos motus spirituales excitari, ad obtemperandum Deo permoueri : Ab idolatria, ab errore, à securitate & odio Dei, à societate immundi spiritus agit aliiquid liberum arbitrium, quo id erit liberius & potentius, eo efficacius operabitur. At nos diuersum expesrimur. Quo sunt homines magis ingeniosi, quo tardius ad regnum Christi perueniunt : quo quis est sapientior, quo rabiosius insanit aduersus Euangelij prædicationem, & quo furiosius suæ saluti aduersatur : quo quis natura est moderatior, & ad res gerendas in republica magis idoneus, quo plerumq; crudelius persequitur veritatem & immanius vastat Ecclesiam. Quid hinc colligitur aliud, quam veteris hominis arbitrium nihil prorsus valere ad regenerationem ? Et quidquid in homine sit quo beneficia Christi desiderantur, probantur, accipiuntur, id totum à divino spiritu accendi, creari, excitari.

Argus

XVI. Argum: Postremo quam nihil boni existat  
in homine non renato, quam nihil valeat in efficiendis  
motibus spiritualibus documento nobis esse debebat mi-  
seria renatorū, & acris in eis lucta. Non enim ita conuer-  
tuntur sancti ut tota moles peccati uno momento in eis  
deleatur, & veteris hominis malicia penitus eradiceretur;  
Quo ad reatum omne peccatum transfertur ab homine,  
& liberatio est integra quo ad iustitiae imputationem;  
Sed quo ad transformationem imaginis Dei, & veteris  
naturae destructionem fit ea pedetentim: augescente  
paulatim per spiritum interiore homine. Ergo quamdiu  
vivit homo, manet pars eius vetustior & carnalis sub ser-  
uitute peccati, hæret in eo concupiscentia quam depone-  
re non potest. Hinc perpetua existit in homine renato  
Συγγραφία, & vt Augustinus loquitur ciuile bellum, Ca- Gal: 6.  
ro enim aduersus spiritum concupiscit; & vicissim spiri-  
tus aduersus carnem,

Neq; vero extenuandum est hoc malum hærens in  
renatis, cum Paulus id nominet legem militantem in  
membris, & captiuantem renatos & subiicientem legi  
peccati, Roma: 7. Video inquit aliam legem in membris  
meis, militarem contra legem mentis meæ, & captiuan-  
tem me legi peccati. Paulum loqui de se renato non est  
dubium. Cum itaq; tanta peruersitas adhuc insidet vete-  
ri arbitrio hominis, etiam tum cum homo ex carcere pec-  
cati & Satanae eductus, in libertatem spiritus vindicatus,  
noua luce perfusus, noua vi voluntatis ad obtemperan-  
dum Deo est instructus, an non extrema est impudentia  
animi nulla sui parte renato tantam adscribere bonita-  
tem vt ex seipso Spiritui sancto offerenti salutem adsentiri

M

cumq;

eumq; comitari posit? Iubet Paulus Roma : 8. vt actio  
nes carnis spiritu mortificemus, quo fine? nisi quia in re  
natis quoq; caro non desinat sui esse similis, & Dei ver  
bo aduersari. Si quid boni à carne profici sc̄ potest, erat  
**Ephe: 4.** id potius excitandum, souendum, confirmandum: At  
Paulus vult prorsus exūi veterem carnem, quę sese in de  
siderijs huius mundi corrumpit. Magna ergo dementia  
est, cum renati nihil boni in carne sua inueniant, etiam  
non regenitis tribuere facultatem se sua sponte ad gra  
tiam inflectendi, & praeuntem spiritum εκ προστέλει  
comitandi.

Haec tam illustria argumenta, quæ Prophética &  
Apostolica authoritate nituntur, si quis serio & in timo  
re Dei seposito contentionis studio secum expendat, faci  
le animaduertet humanam mentem & voluntatem pror  
sus nihil agere ex sese in hominis conuersione & viuifi  
catione: sed totum esse opus & beneficium Spiritus san  
cti, pro admiranda & inscrutabili Dei sapientia, minis  
terio verbi externi & Sacramentorum illustrantis men  
tem, & conuertentis voluntatem ut velit & accipiat fa  
ludem. Et cur non hanc verissimam & Deo debitam,  
& nobis ut necessariam, ita salutarem ederemus confes  
sionem? Nihil hic nobis perit, cum nobis omnia admis  
mus. Quanto enim candidius nostram profitemur in  
digentiam: tanto indulgentius diuinæ bonitatis libera  
litatem experimur: Ac vicissim quo quis impudentius  
inani vento gloriae intumescit, quo se crudelius diuina  
ope spoliat.

Merito igitur tibi æterne & sancte Deus pater, Do  
mini nostri Iesu Christi, ex animo fatemur, prorsus nihil  
boni

boni in nobis existere tantum ex nobis: Fatemur nos  
latum esse te figulum nostrum, mentis nostræ tenebras  
imo noctem agnoscimus: fatemur nostram voluntatem  
ex sese nihil posse, nisi odisse te & veritatem. Quod igi-  
tur conuertis nos, & ex morte & inferis reuocas tua est  
pater in solidum, & bonitas immensa, & gratia ineffabi-  
lis: Itaq; & gratias tibi agimus toto pectore, per Domini  
num nostrum Iesum Christum, & supplices te oramus, vt  
propter mortem filij per spiritum sanctum fidem in nobis  
alas, confirmes, & facultatem ad finem perseuerandi, &  
salutem æternam adipiscendi clementer retribuas, vt tu  
am bonitatem in æternum læti celebremus, Amen.

## C A P V T V .

### S E N T E N T I A E V E T E R V M

scriptorum Ecclesiasticorum, de fas-  
cultate liberi arbitrij.

A Cquiescere omnino debet mens perspicua veritati,  
quaे sine vlla ambiguitate & obscuritate testimonij  
Propheticis & Apostolicis demonstratur. Quare cum  
hactenus ostenderimus ex sacris literis, quam sint vires  
humanæ penitus emortaæ quo ad spirituales motus, &  
debet & potest conscientia, supra expositam sententiam  
secure amplecti, nec concedere vt ab ea vlla humana au-  
thoritate diuersum decernente dimoueat. Cumq;  
Infiari nemo possit in scriptoribus Ecclesiasticis, mul-  
tas occurtere obscuras, plures improprias, atq; inter  
se dissidentes, non paucas manifestæ sacræ scripturæ  
contrarias, ideoq; falsas sententias de varijs capiti-  
bus nostræ religionis: ideoq; necesse sit vt cum iudicio

M 2 legan-

legantur, huiusmodi diligentí attentione in hoc articulo  
de liberi arbitrij facultate nobis est opus. Pauci enim tu-  
ta vestigia Prophetarum in huius doctrinæ explicacione  
sunt secuti; multi imbuti in scholis Philosophorum vis-  
tata doctrina de libertate voluntatis, difficulter hanc con-  
ceptam opinionem deponere potuerunt. Ideoq; admo-  
dum dissimiles sententiae apud patres de libero arbitrio  
reperiuntur: Ut autem eas conferat Lector cum Pro-  
pheticis concionibus, quasdam hic subiiciemus.

Ireneus.

Ireneus lib: 2. cap: 65. Non enim ex nobis neq; ex  
natura nostra vita est, sed secundum gratiam Dei datur.  
Et quidem de salute & dono perseverantiae loquitur, lib:  
3. cap: 22. significans quoniam non à nobis, sed à Deo est  
bonum salutis nostræ.

His verissimis dictis prorsus contraria scribit, lib: 4.  
cap: 9. Homo vero rationalis & secundum hoc similis  
Deo, liber in arbitrio factus & suę potestatis, ipse sibi cau-  
sa est, vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem  
palea fiat. Si locus non est depravatus, grauiter hic halluz  
cinatus est Ireneus, quod adfirmat hominem sibi causam  
esse, vt sit frumentum, cum id soli Deo debeamus. Neq;  
excusari potest sententia eius, lib: 4. cap: 72. Non tan-  
tum in operibus, sed etiam in fide liberum, & suę po-  
testatis arbitrium homini seruauit Dominus. Deinde de  
fide loquens subiicit: secundum hanc rationem & suum  
proprium ostendens Dominus & sui arbitrij, ac suę po-  
testatis significans hominem, dicebat ad Hierusalem. Quo-  
ties volui congregare filios tuos: Hic cum fidem tribuat  
Ireneus arbitrio hominis, meminerimus tutius nos fe-  
qui Paus

qui Paulum, qui adfirms fidem donum esse Dei, non ex nostra facultate.

Amplum liberi arbitrij encomium quod apud Tertullianum, lib: 2. aduersus Marcionem extat, facile recisio-  
nem. agit enim de integro hominis statu ante lapsum. Lib-  
erum & sui arbitrij, & suæ potestatis inuenio hominem  
a Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem  
Dei in illo animaduertens, quam eiusmodi status  
formam. Quod vero eodem libro addit: Certamini enim  
dedit spacium ut & homo eadem arbitrij libertate elide-  
ret inimicum qua succiderat illi, probans suam non Dei  
culpam: Et ita salutem digne per victoriam recuperaret:  
Plane ut falsum explodo. Repugnat enim sententia  
Christi, si vos filius liberauerit vere liberi eritis. Iohan: 8.  
Item, Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis,  
neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Iohan: 6.  
Nemo potest ad me venire nisi pater traxerit eum. Hæc  
diuinæ maiestatis oracula omnibus scriptoribus totius  
orbis sunt anteponenda.

Cyprianum Augustinus in sua castra trahit: & te= Cypria-  
lis eius vt fitur ad conficiendum liberum arbitrium. Multus  
toties repetit & inculcat illud preclarum dictum: In nul-  
lo gloriandum est, quando nihil sit nostrum. Quod si ve-  
rum est, vt nemo insicari potest, eo quod Paulinæ voci Quirinū:  
consentaneum est. 1. Corint: 4. Quid autem habes quod  
non accepisti: Sequitur omnino non esse in nobis hanc li-  
bertatem arbitrij vt sponte nostra ad ea quæ sunt æternæ  
salutis applicare possumus. Si enim tantum boni est in no-  
bis reliquum post corruptionem, est sane de quo glorie-

mur : Satis igitur diserta est sententia. IN NVLLO  
GLORIANDVM EST, QVANDO  
NOSTRVM NIHIL SIT. Deinde in lis-  
bro de bono perseue : citat Augustinus expositionem  
orationis Dominicae scriptam à Cypriano martyre : ex  
qua demonstrat, Cypriano teste non dari gratiam iuxta  
merita, sed secundum Dei bonitatem, & fidem non solum  
excitari : sed & conseruari diuina clementia : Atq; hoc  
donum gratiæ à Deo humiliter petendum esse.

Hæc Augustini authoritas merito nos excusaret,  
si adfirmaremus Cyprianum nostræ sententiae adstipula-  
ti. Verum ut sit admonitus Lector, cum iudicio legendos  
scriptores, & delectum adhibendum in excerptis sen-  
tentias, non dissimulo etiam contrarias prorsus sententias  
**Lib: 3. ad** in Cypriano occurtere. Nam in eodem ad Quirinum lib:  
**Quirin:** capitul: 53. prorsus aduersatur superiori sententiae ab  
Augustino passim celebratae. Credendi vel non crea-  
dendi libertatem in arbitrio positam, &c. ex verbis  
Mosis Deut: 30. elicere conatur. Ecce dedi ante facias  
em tuam vitam & mortem, bonum & malum elige via  
tam & viues. In eandem sententiam loquitur lib: 1. Epis-  
tola 3. Nunquid & vos vultis abire, dixit : seruans scilicet  
legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio pro-  
prio constitutus, sibi metipsi vel mortem adpetit vel salu-  
tem. Verum huic sententiae cum repugnant Pauli verba  
Roma: 9. Non est currentis, necq; volentis, sed miserentis  
Dei. Item Phil: 2. Deus est qui operatur in vobis velle  
& perficere, non facimus iniuriam Cypriano, quod ab eo  
recedimus, & diuina oracula certiorem vt pote ducem  
sequimur.

Gregor

Gregorium quoq; Nazianzenum producit suæ Gregorium  
sententiaæ testem Augustinus, lib: de bono perseue: Nec Nazian-  
sane obscura est sententia eius, quam Augustinus contra Zen.  
vim liberi arbitrij pro gratia Dei citat. Sic enim ait: Ser-  
mone de sancta Pente: δώτε γοργάνιδα, τὸ πρῶτον δούς,  
νομῆ τὸ δεύτερον. Dabit enim certo scio, Nam qui dat pri-  
mum, dat & secundum. Loquitur autem de plana con-  
fessione iam creditæ veritatis: quasi dicat, Is qui dedit ut  
recte credatis, dabit etiam ut recte de Deo loquamini, &  
fidem sanis verbis confiteamini. Nihil hic desidera-  
mus: itaq; si in hac sententia perstitisset, merito in Eccles-  
ia haberetur validus liberi arbitrij euersor.

Verum quod dedit hic dextra, alibi rursus sinistra  
abstulit. Nam in conc: de dicto Euangeli: Quando Ies-  
sus perfecit sermo: et si videtur paulo modestius loqui,  
quam coeteri scriptores Ecclesiastici: Et annuendi facul-  
tatem saltem adscribere hominis non renato arbi-  
trio: tamen nequaquam in eo laudandus est, quod Phi-  
losophico suo additamento manifesta scripturæ dicta  
deprauat. Locum integrum ex Nazianzeno adscri-  
bam, vt mens eius possit intelligi plenius, & ne quis  
cautilletur nos grauissimo scriptori adfangere peregrinam  
sententiam.

Non omnes inquit, capiunt verbum hoc, sed quibus  
datum est: Cum illud (Datum est) audis, nihil cogites  
Hæreticum. Neq; Manichæorum naturas introducas,  
non imagineris, alios terrenos, alios spirituales, alios medi-  
os. Sunt enim quidam adeo prauis imbuti opinionibus,  
vt arbitrentur, quosdam prorsus damnatae esse naturæ:  
quosdam saluandæ, quosdam vero tales fieri, prout libera  
ipsorum

ipsorum voluntas, vel ad bonum vel ad malum eos perduxerit. Studium quidem in alio maius, in alio minus existere, recipio: At non sufficit solum voluntatis studium ad perfectionem. Ratio autem est quæ hoc ipsum excitat, ut natura ad opus procedat. Quemadmodum lazpis Pyrites à ferro impulsus, atq; ita fit ferrum. Quum auctoribus quibus datum est, adde, datur autem inuocantibus, & sic annuentibus. Nam & quando audis, Non est voluntatis neq; currentis, sed miseren̄tis Dei: Consulo tibi ut hoc ipsum statuas: Postquam enim sunt, qui vscq; adeo suis præclaris virtutibus fidunt, ut totum sibi tribuant, nisi hil vero factori, & sapientiam præstanti, & omnis honesti largitorū relinquant, docet hic sermo, quod ipsum recte velle, diuino eget auxilio. Magisq; ipsa electio alicuius boni & decentis, diuīnum quiddam est, à diuina erga homines beneficentia profectum donum. Oportet enim ut in nostri arbitrij potestate sit quippiam, utq; donum, quod Dei est seruemus & agnoscamus. Propterea inquit: Non est volentis, necq; currentis (Tantum) sed & miseren̄tis Dei. Præterea postquam & ipsum velle à Deo est, totum, iustissime dedit Deo. Animaduertat Lector studiosus: Nazanzenum de suo hoc addere, quod minime congruit dicto Christi: δέ τὸν ἀνθρώπον οὐτε νέαντες προσέχεται, δέ τοῖς καλουμένοις οὐδὲ οὐτε νέαντες. Cum audiueris, quibus datum est, adde, datur autem inuocantibus & sic annuentibus. Et paulo post aliquanto absurdius loquitur. οὐδὲ οὐδὲ δέ τοῖς οὐτε νέαντες, δι τὸ εἶναι τοῖς τοῖς μάρτυρας παρὰ τὸ πνεῦμα τὸ ιατρικόν, & οὐδὲ οὐτοῖς δέ τοῖς οὐτε νέαντες. Et quibus datum est, adde, utpote dignis, qui quod sint tales, non solum à spiritu acceperunt, sed & sibi ipsi dederunt.

Integrum

Integrum locum adscripti, ut Lector proprius adspiciat Nazianzeni mentem, & animaduertat, quam parum hic sibi constet. Non diffiteor Nazianzenum aliam vim libero arbitrio tribuere. Vult enim gratiam dari inuocantibus & annuentibus. Vult studium voluntatis excitari a ratione; vult concurrere nostram facultatem & Dei misericordiam in spiritualibus motibus. Verum attendat hic prudens Lector, an illa audacia addendam interpretationes nullo scripturae testimonio nitentes, ad perspicua Christi dicta, ferenda sit in Ecclesia. Meo iudicio, ad illud πρόσωπον, non inconcinne ex Tertulliano responderemus: Non recipio quod de tuo infers. Hoc ipsum igitur probandum erat, his dari, qui sua sponte annuerent. Multo minus illud additamentum in illo dicto ferendum est, cum dicit: Non est volentis, neque currentis (tantum) sed & miserentis Dei. Hic Nazianzenus ita partitur operas, ut & voluntati suas tribuat in conuersione partes: Cum Paulus econtra totum demat voluntati, & soli Spiritui sancto adscribat. Illud vero prorsus expletendum est, quod adserit secundum merita dari gratiam, atque hominem non solum accipere, sed & sibi dare, quod sit bonus. Hoc enim manifeste pugnat cum Pauli dicto. Quid vero habes quod non accepisti? Item, Non potest sibi homo sumere quidquam, nisi datum ei fuerit desuper.

Ne vero admodum nos moueat haec Nazianzeni authoritas, ipse eam proprio eleuat testimonio. Expressè enim sibi contradicit. Cum enim ait: Magis vero ipsa electio recti diuinum quiddam & Dei donum est. Et tunc: Postquam & ipsum velle a Deo est, totum con-

N uenien-

nenienter dedit Deo : nihil profecto aliud agit, nisi quod priorem labefactat sententiam, & mentis suæ inconstantiam prodit. Omnia igitur rectissime utemur Nazianzeni testimonio, si ea quæ fidei analoga sunt cum eius laude, & nostro fructu receperimus : quæ vero scripturæ sint dissentanea, humanae fragilitati & in cogitantia condonauerimus.

Basilii,

Eadem pene sententiarum dissimilitudo in Basilio occurrit. In concio : de humilitate : Totus est noster, vas lidiissime incidens neruos libero arbitrio : Sunt enim haec præclara eius verba. Nihil tibi relictum est ad superbiam homo, cuius gloriatio & spes est, ut mortifices omnia quæ tua sunt, Et quæras futuram in Christo vitam, cuius nunc adepti primitias, in his sumus, totum quod vivimus gratiæ & dono Dei debentes. Nam & Deus est, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona sua voluntate. Et ibidem : Quid igitur te effici, dic mihi, tanquam in bonis proprijs, cum potius gratias agere pro acceptis muneribus debeas largitori : Quid enim habes quod non acceperisti. Haec pie & vere sunt dicta.

Verum fateri rursus cogor eundem Basiliūm plane contrariam expressisse alibi sententiam de libero arbitrio, Quod in sermo : de poenitentia inquit : μόνον βέλτιον γρήθεος προαπαιτεῖ. Tantum velis & Deus præoccurredit, non aduersatur nostræ sententiae. Præuenit enim Deus voluntatem, & tota scriptura nos hortatur ut velimus : sed simul docet ipsum velle Dei donum esse. Etiam illud quod conciliatur, in εξοχa : inquit : ταῦτα δὲ φάσκουσι τοὺς Υἱούς

τυγχάνει : ὃς τὸ κρατήσω τῷ επιθυμίᾳ ἡ μὴ κολασσᾶται τὰς  
ἡδονὰς . ὃς τὸ καταχέι πρόγυνις , οὐ χεῖρας ἐπαφένει τῷ παροξύ-  
ναντι , οὐ ληθεύει τὸ φευδεῖσθαι . ὃμοι τούτοις διατὸς ἐν πίστι Θεοῦ , τότε  
τὰς ἀσκήσεις μὲν ἔκπλοσις ἐτέρωθεν . Id est : Alia vero in no-  
stra sunt potestate , ut frenare cupiditates , aut non  
cohibere voluptates : iram compescere , aut manus ini-  
cere mouenti bilem , dicere veritatem aut mentiri ,  
&c. Quorum igitur Dominus ipse existis , horum ne  
causas aliunde quæras : Fortassis hoc modo excusari  
posset , loqui eum non de motibus spiritualibus poenit-  
tentiae , sed de externae disciplinae moderatione , qua  
aliquomodo saltem libera adhuc est carni non rege-  
nitæ . Verum si quis ad motus salutaris conuer-  
sionis illa transferre conetur , nemo pius non vi-  
det Basilium emortuæ hominum voluntati nimium  
tribuere .

Illud vero probare vel excusare nequeo , quod con-  
cio : 10.2.15 εἶπεν : inquit : Νῦν δὲ τὸ μῆνιν ἐδίδοθι . τόδε ἀπλέσει  
κακλεῖ φθεῖται σταύτου πλεῖστος : οὗτος γένης τῆς παρὰ θεού  
μωθαποδοσίας . Nunc vero pars data est , pars imper-  
fecta relicta , ut teipsum perficiens dignus existas mer-  
cedis à Deo dandæ . Malo hic Cypriani illud : In  
nullo gloriandum est , quoniam nihil est nostrum . Ita  
vides Lector quam sibi ipsi non constet Basilius in  
hac doctrina .

Epiphanio quantū in hac causa sit tribuendum æstis Epiphano  
met prudens Lector : mihi ut ingenue fatear non satisfas nius .  
cit . Aduersus Montanū sic scribit , δύτω μὴ οὐς ἐκπλεσούμενος με Adver-  
τή προαιρέσεως κέκληνεν , οὐκ ἀναγκή μη επιβάλλωμενον κλοιόντα Monta-  
N 2 πατερι: pag: 180.

Ἐπιτίθεμεν Θ'. φάσκει γαρ ὅτι διὰ τῶν τε ἐλθατέ πρός με καὶ πᾶλιν εἰ τοις θέλει ἐρχεσθή πρός με, ἀριστάθω ξανθόν, καὶ τοῖς πολουθίτω μοι. Id est, Sic & quos vocavit cum libera ipsorum electione vocavit, non infecta necessitate, neque vinculis impositis. Inquit enim, Sitientes venite ad me, & rursus; Si quis vult ad me venire, is neget seipsum, & me sequatur. Necessitatem & vincula haud dubie de violenta coactione intelligit, ubi manet voluntas repugnans. Dixerat enim Maximilla se iuuitam & coactam ad Ecclesiam vocatam esse. Eiusmodi coactionem quae fit voluntate prorsus obfuscante non docent sacre literæ. Quod vere de προαιρέσει inquit, ambiguum est. Est enim omnino voluntas in homine dum conuertitur, quae sponte & libere imo cum voluptate comitatur gratiam præcuntem: Verum unde hæc ipsa spontanea voluntas existat controuertitur. Nos enim adserimus illud ipsum velle non esse nisi à Deo. Argumenta quae subnectit quia patronis Synergia sunt familiaria, ostendunt quid senserit. Non igitur dissimulo me dissentire ab Epiphonio. Ad scripturæ testimonia suo loco, Deo iuante respondebo.

Paulo apertius liberi arbitrij facultates defendit contra Manichæum pa: 298. Si inquit Christi dictum: Non omnes capiunt verbum hoc, de ipsius doctrina est intelligendum: Ergo si qui non capiunt, iuxta proprium arbitrium non capiunt. Itaque laudabiles & reprehensibiles ex libero arbitrio adpellabuntur: Et non secundum naturam erit capacitas. Hic manifestam filij Dei vocem, quod pace Epiphoni dixerim, depravat. Quod enim Christus naturæ & liberi arbitrij viribus derrahit, ac soli Dei dono adscribit, id ille electioni voluntatis tribuit, Non

Non igitur male consulemus nobis, si posthabita paulisper Epiphanij Philosophica doctrina, oraculo Christi in dubio adsentiemur, qui Iohan: 6. inquit, Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit a patre meo.

Ex Ambrosio quædam allegat Augustinus contra Ambrosi liberum arbitrium in lib: de bono perseue: & alibi. Ac si sunt sane illustria dicta, quæ vt voluntati demunt conversionis opus, ita soli Spiritui sancto, adscribunt. In Lu: 1. Luc: cam inquit: A Deo enim præparatur voluntas homi: ca: 1. num: Vt enim Deus honorificetur a sancto Dei gratia est. Et eodem lib: cap: 9. Nam si voluisse ex indeuotis deuotos fecisset. Item, sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. Ex quibus testimonij aliquid elici non potest: quam totum esse in arbitrio & clementi Dei voluntate positum, vt hominis voluntas ad gratiam præparetur, ad Deum conuertatur, & fides ei inspiretur. Si enim Deus, quem vult religiosum facit, sequitur id virtute liberi arbitrij non effici,

Passim quoque inculcat Augustinus dictum Ambrosij: quod est in lib: de fuga seculi. Denique voti eam magis rem esse, quam effectus, testatur Propheta dicendo: Declina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam. Non enim in potestate nostra est cor nostrum & nostræ cogitationes, quæ improviso offusæ mentem animorum confundunt atque alio trahunt, quam tu proposueris. Hoc robusto ariete non solum querat, sed plane subruat muros liberi arbitrij Augustinus. Cum enim cogitationes, appetitus & affectus, & totum cor, id est, tota vis animæ, non sit in nostra potestate, sed nutu Dei regatur,

nihil prorsus relinquitur libero arbitrio præsertim in sp̄a  
ritualibus motibus, vbi necesse est & suggeri pias cogita-  
tiones, & accendi intellectum, & instillari desiderium, &  
dirigi electionem, & firmari voluntatem. Noster itaq;  
erit Ambrosius, si res stabit iudicio Augustini. Idcp  
multo constantius adsererem si libri de vocatione gentis  
um huius essent authoris. Sed quia docti homines cer-  
tis vtuntur argumentis, quibus demonstrant, vel prospes-  
ti, vel alterius hoc opus esse, frustra ex isto volumine  
mentem Ambrosij colligimus.

Ne autem studiosus Lector suspicetur me dīssimile  
lasse diuersas Ambrosij sententias, fateor apud eum repe-  
riri, quæ vt à nostra confessione, sic à Prophetica scriptura  
in hoc articulo deuant. In Psal: 40. Bene ait, Sperauit:  
quia homini dedit eligendi arbitrium, quid sequatur. Po-  
sui inquit, ante te bonum & malum. Si malum elegeris,  
non natura delinquit, sed elegantis affectus. In Enarrat:  
Epistolæ ad Roma: cap: 9. Cum Pauli dicta de Electio-  
ne exponit, imaginatur Deum in electione ad hominum  
futura merita respexisse: Apostolum Paulum inquit,  
persequentem elegit, præscius utiq; quod futurus esset  
fidelis. Vnde colligitur sensisse eum, quod voluntas non  
solum agat aliquid in conuersione, verum etiam gratiam  
mereatur. Quam vero absurdum sit hæc imaginatio, Dei  
electionem iuxta futura hominum merita esse directam,  
nihil opus est hic commemorare: Legatur Augustinus,  
qui in multis libris hanc absurdam opinionem confutat.  
Ergo si quis prioribus Ambrosij dictis acquiescit: non  
tam Ambrosio quam sacræ scripturæ fidem habet: sin mis-  
sus, relinquatur in medio eius authoritas, & quia diuerfa  
dicta

dicta apud eum reperiuntur, quæ consentanea sunt veritatibus ex verbo Dei metiamur, quæ discrepant à veritatis norma humanæ fragilitatis & ignorantiae nos commoneant.

Ioannem Chrysostomum Origenica Philosophia Chrysostomus imbutū plurimum dissentire in articulo de virib[us] stoma[n]tibus manifestius est, quam vt dissimulari possit: Ac quia ceteris omnibus Orthodoxis craſsius loquitur, non immerito verecundia in ipso desideramus. Dignum vero obſeruatione quam grauiter ſibi ipſi contradicat. Verba eius ſunt: Nihil noſtrum eſſe putemus quandoquidem, Hom: 30. & ipſa fides non eſt noſtrum opus. Quod autem non ſit in Act: noſtrum, ſed magis Dei audi Paulum dicentem: Etiam Apost: hoc non ex nobis, Dei donum eſt. Item, Quod omnis homo, non ſolum naturaliter peccator, ſed totus peccatum eſt. Item, Ex vasis iræ facit vasa misericordiæ, quod Hom: de adeo totum diuini operis eſſe ſentitur, vt haec efficienti Adam & Deo gratiarum ſemper actio, laudisq[ue] confessio pro taliis Eua, ut aliquid boni & velle inueniamur & facere. Quo vtiq[ue] auxilio & munere Dei non auſfertur liberum arbitrium, ſed liberatur: vt de tenebroſo lucidum, de prauo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit prouidum. Tantum eft erga omnes bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita quæ ipſius ſunt bona. Agit quippe in nobis ut quod vult velimus & agamus.

Hec ſana eft oratio & congrua ſcripturæ ſacré. Totū enim Deo tribuit quod boni aliquid velimus. Quodq[ue] nos in eadem concione cooperatores gratiæ Dei appellat de hominis renati couerſa voluntate potest recte intelligi. At rurſus

rursus idem Chrysosto : Plurimus in locis huic sententiæ ex diametro pugnantia adserit, & Ethnico more arbitrii trium hominis sese in utramque partem sponte inflectere posse, atque ipsam Dei gratiam præueniri oportere à nostra voluntate contendit : totumq; conuersionis nostræ opus ita partitur, ut facultatem adsentendi & conandi homini tribuat, spiritui vero seu gratiæ excitationem nostri.

**Homil : in Gene : 58.** Verba sunt Chrysost : Sicut nisi gratiam habeamus, nihil unquam possumus recte agere : ita nisi quod nostrum est attulerimus, non poterimus supernum acquirere fauorem. Demus igitur operam ut & nostrum adferamus, & supernum fauorem alliciamus, ut & ex nostro studio, & ex Dei misericordia virtutes nostræ crescant.

**Homil : in Gen : 60.** Item, Nam si quæ à nobis sunt fecerimus, sequentur & omnia quæ Domini sunt. Item, In nostra enim potentia est filios Dei fieri.

**Homil : in Iohan : 9.** Quippe nisi primum ad eam accipiemus, endam promptum animum exhibeamus, neque diutinum ad nos munus accedit, neque quidquam in nobis operatur. Vbiq; igitur non violentum non coactum, sed voluntarium penitus & liberum, nobis ostendit arbitrium.

Omnium vero absurdissime loquitur, cum dicit :

**Homil : in** Hinc admoneri possumus, Deum suis in nos beneficis nostras non præuenire voluntates, sed à nobis incipientes dum esse. Hic sane, nisi universam scripturam Prophetarum & Apostolorum male dilutæ Philosophiæ Chrysostomi postponere velimus, necesse est ut illas impias voces, quæ plus tribuunt peruersæ hominis voluntatis quam gratiæ Dei explodamus. Paulus enim clare con-

**Phil : 1.** tradicit Chrysosto : Qui incepit in vobis opus bonum, is & perficiet. Item, Deus est qui efficit in vobis ut velitis, &

tis, & perficiatis. Nec sane æquum est ut in hac graui con-  
trouersia multum moremur Chryſtomi authoritatem,  
cum plus satis conſtet, eum vix gustum aliquem fanę do-  
ctrinæ Euangeliū habuisse. Moralia præcepta paſſim tra-  
ctat, & Philoſophorum more in vicia inuehitur. Verum  
cum promiſſio gratiæ de reconciliatiōne cum Deo ex-  
plicanda eſt, quauis glacie eſt frigidior. Itaq; ſuffragato-  
rem in hoc iudicio eum ferre non poſſumus.

Hieronymus videri vult strenuus oppugnator libri Hieronymi  
beri arbitrij: Ac fateor eum deliria Pelagi ſatis valide <sup>mis.</sup>  
confutare. Is enim contendebat hominem abſq; Spiritus  
ſancti gratia virtute liberi arbitrij, non ſolum boni aliquid  
velle, ſed etiam eſſe poſſe ſine peccato. Qui bardifſimus  
error ex ipſa pene Philoſophia, & communī experientiā  
vitae humanae confutari potuiffet, ne dicam primis Cata-  
chismi rudimentis. Verum nequaquam in eo ſatisfecit  
Eccleſiae Hieronymus, quod ſimul & gratiam & liberum  
arbitrium tueri conatus eſt. Nec toleranda eſt ſententia  
quam ponit 3. Dial: aduersus Pelag: Noſtrum eſt in-  
quit incipere: Dei autem perficere: noſtrum offerre  
quod poſſumus, ſed Dei implere quod non poſſumus. Fe-  
rat iudicium de hac voce Hieronymi vel Prosperi, vel  
quiſquis eſt author libri de vocatione gentium. Diserte  
enim dicit, Inſanifſimam eſſe superbiam, quæ fingit homi-  
nis eſſe incipere & refutari à Paulo, qui ad Phil: inquit:  
In nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis eſt cauſa per-  
ditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo, quia vobis do-  
natum eſt pro Christo, ut non ſolum in eum credatis, ſed  
etiam pro eo patiamini. Quoties Hieronymus citat  
Pauli & Christi testimonia contra liberum arbitrium re-

O

cto po-

cto poplite incedit : vbi vero deflectit ad suam Philosophiam mox labascit & claudicat. Nihil itaq; præsidij in eo habemus.

Non dubito quin prudens Lector cum tædio & dolore animi , legerit tam discrepantes & à sana confusione plerasq; alienas veterum scriptorum sententias de viribus humanis : Ac merito nos admonet hoc tristissimum exemplum, ut ea quæ in Synodis decernuntur, vel à doctis viris traduntur, non sine consideratione temere arripiamus, sed ad amissim diuinæ verbæ semper examinemus. Nunc vero nos recreabit inter omnes scriptores Ecclesiasticos citra inuidiam primas tenens Aurelius Augustinus : qui cum singulari lumine spiritus fuerit ornatus, in controversijs dogmatum egregie exercitus , & diuinitus ad extirpandam Pelagijs blasphemam heresin excitatus, articulum de viribus humanis exacte exposuit, cauillationes confutauit, & veram sententiam perspicuis scripturæ testimonijs munivit,

Ne quis vero huius testis authoritatem labefactet, contrarias indicando sententias, sciri necesse est, Augustinum quidem in prioribus suis scriptis, plus aequo tribuisse libero arbitrio : neq; id mirum videri potest consideranti, quod Philosophica opinio de libertate arbitrij prorsus inuulnerat in Ecclesia. Et aduersus Manichæorum furores liberi arbitrij adserio, quasi impenetrabilis clypeus videbatur. Verum vbi in disputatione aduersus Pelagium, Celestimum & Julianum testimonia scripturæ, quæ de corruptione & nuditate hominis loquuntur proprius adspexit, res

Etius

Etius à spiritu edocitus mutauit priorem sententiam,  
eacq; publica confessione retractauit. Quae eius re-  
tractatio in primis digna est obseruatione: Verba eius  
sunt, in lib: de prædestina: sanct: Quid autem ha-  
bes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid glo-  
riaris quasi non acceperis? Quo præcipue testimoniio  
etiam conuictus sum cum similiter errarem, putans fi-  
dem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à  
nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona,  
quibus temperanter, & iuste, & pie viuamus in hoc secu-  
lo. Nec enim fidem putabam Dei gratia præueniri, vt  
per illam nobis daretur quod posceremus utiliter, nisi  
quia credere non possemus, si non præcederet præconium  
veritatis. Ut autem prædicato nobis Euangelio consen-  
tiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse  
arbitrabar: Quem meum errorem nonnulla opuscula  
mea satis indicant, ante Episcopatum meum scripta.

Egregiam sane laudem hac sua ingenuitate, meri-  
tus est Augustinus. Dum enim pristinum suum erro-  
rem modesta confessione retractauit, posteriori & me-  
liori sententiæ tanto plus ponderis addidit: & in qua do-  
ctrina tandem acquieuerit ostendit. Quod si dissimulato-  
ri errore astute & clam substituisset aliam sententiā,  
vt multis mos est, non solum dubium redidisset lecto-  
rem de sua mente, verum etiam semina contentionis po-  
steritati subministrasset. Multum itaq; debet Ecclesia  
Augustino huius modestæ confessionis nomine, vt etiam  
pro alijs innumeris beneficijs.

Quod ergo nobiscum faciat Augustinus in hac  
controversia, cum ex multis eius scriptis, tum in primis,

O z ex po

ex postremis libris, quos aduersus Pelagianos scripsit <sup>lis</sup>  
quidem demonstrari potest. De praedest: sanct: Fides igitur  
& inchoata, & perfecta donum Dei est. Atque hanc  
sententiam multis scripturae testimonij comprobant. Nec  
sane aliud queritur in controvlesia de Synergia, quam  
vnde sit fides, id est, ad sensio illa qua promissionem Euangeli  
ampliorem, & in terroribus mortis vivificamur.  
Diserte pronunciat Augustinus nihil esse tribuendum  
humanae voluntati vel arbitrio, sed totum esse spiritus  
donum. De bono perseue: Nos ergo volumus, sed Deus  
operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in  
nobis operatur & operari pro bona voluntate: Hoc no  
bis expedit & credere et dicere, hoc est pium, hoc verum,  
vt sit humilis & submissa confessio, & detur TOTVM  
Deo. Item, Tutiores vivimus cum TOTVM Deo  
damus.

De gratia & lib: arbit: Vt ergo velimus sine nobis  
operatur: cum autem volumus & sic volumus vt facias  
mus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operans  
te vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pie  
tatis opera nihil valemus. De operante illo vt velimus  
dictum est: Deus est qui operatur in nobis & velle, &c.  
Distinguit hic Augustinus primam hominis conuersio  
nem, cum illi diuinitus sancta voluntas ac salutis desiderio  
um instillatur, ab ea operatione spiritus, quae fit in renas  
cens: Ac dilucide testatur Deum sine nobis operari, vt ve  
limus id per spacio Pauli testimonio demonstrat. Nihil  
ergo est certius, quam eandem ab Augustino traditam  
& conuersione eius per spiritum profitemur.

In En

In Enchríd : ad Lauren : libero arbitrio male vtens  
homo & se perdidit & ipsum. Hic prorsus negat restare  
liberum arbitrium post Adæ defectionem in natura cor-  
rupta : ac euidenti similitudine vtitur ; sicut is qui se se o-  
cidiit non viuit, nec seipsum resuscitare potest, cum occi-  
derit : ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato  
amissum est & liberum arbitrium. Vsurpat quidem mul-  
tis in locis, etiam in postremis scriptis liberi arbitrij adpel-  
lationem sed *narrat̄ ḡn̄sikōe*. Appellat enim arbitrium lí-  
berum, id est, non quod in eius sit potestate positum, ad-  
plicare se ad gratiam, vel ab eadem se auertere, sed quod  
sit liberum, id est, alienum à iustitia Dei, quemadmodum  
& Paulus loquitur, Roma : 6. Cum serui essetis peccati,  
liberi eratis à iustitia, id est, alieni. Hoc sensu & Augus-  
tinus saepe loquitur. De corruptione & gratia liberum  
itaq; arbitrium, & ad malum & ad bonum confitendum  
est nos habere : sed in malo faciendo liber est quisq; iusti-  
tiae, seruusq; peccati : in bono autem liber esse nullus po-  
test, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit : Si vos filii libe-  
raverit, vere liberi eritis. De gratia & lib ; arbit ; semper  
autem in nobis voluntas est libera, sed non semper est  
bona : Aut enim à iustitia libera est, quando seruit pecca-  
to, & tunc est mala : aut à peccato libera est, quando ser-  
uit iustitiae & tunc est bona. Gratia vero Dei semper est  
bona, & per hanc fit ut sit homo bona voluntatis, qui  
prius fuit voluntatis malæ. Hac *narrat̄ ḡn̄sikōe* Augustinus  
potius false deridet superbum titulum liberi arbitri, quam  
villam animæ libertatem in rebus spiritualibus attribuit.  
Hæc enim solida & vera est libertas, cum quis nullo im-  
peditus obſtaculo libere potest seruire iustitiae Dei : Om-  
nium vero foedissima est seruitus, cum quis liber est ac

alienus à vera iustitia. Atq; idcirco Augustinus in libris aduersus Julianum, non dubitat seruum potius quam librum nomine arbitrium, ut supra monuimus.

Passim quoq; inculcat hominis voluntatem non solum præueniri, ac præparari à Deo, vt verbo adsentiri possit: verum etiam auersam à Deo, atq; aduersam ita flecti atq; refingi, vt possit & velit vera fiducia ad mediatorem configere: Enchrid: ad Laurentium. Ut totum Deo detur, qui voluntatem hominis bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam: Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nolentem præuenit vt velit, volentem subsequitur ne frustra velit. De bono perseuer: Narrat te solius Dei misericordia conuersum esse ad eam fidem, quam miserrima & furiosissima loquacitate vastabat: Vbi utiq; prædicauis (inquit) non solum auersas à recta fide: sed aduersas etiam rectæ fidei, Deum sua gratia, ad eam convertere hominum voluntates. Epistola 105. Restat, inquit, vt ipsam fidem non humano quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio: nec vllis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumq; sunt merita, sed gratuitum donum Dei esse fateamur: si gratiam veram sine meritis cogitamus: De spiritu & litera. Quid habes quod non accepisti? Propterea etiam voluntas, qua cedimus dono Dei attribuitur,

Ex his tandem testimonij satis est manifestum, quæ fuerit mens & sententia Augustini, de controvèrsia quam explicamus. Atq; hic videre licet, quod ne la-

tum

tum quidem vnguem ab eius sententia discedamus : Ad seuerat enim Augustinus arbitrium hominis in rebus diuinis, & ad salutem spectantibus, non esse liberum sed seruum, atq; captivum. Adfirmat, voluntatem hominis non esse bonam, nisi praeueniatur & præparetur à Domino, atq; ipsum velle salutem inspiretur. Docet constanter & illustribus scripturæ dictis demonstrat fidem totam esse in solidum solius Dei donum gratuitum, Testatur non solum auersas à Deo, & peruersas, sed & aduersas & veritatem furiose persequentes voluntates diuina gratia conuerti. Vrget acerrime nulla esse hominum merita, quæ Dei gratiam præueniant : Modeste semper confitetur totum opus conuersionis Deo tribuendum, Ac Deum sine nobis operari ut velimus. Luce ergo meridiana clarius est, nullum esse dissidium inter nostram de seruo arbitrio, & hominis conuersione confessionem, & doctrinam quam Augustinus aduersus Pelagianos defendit.

Etsi autem hæc Augustini testimonia, per se gravissima sunt, eo tamen plus habent ponderis in Ecclesia, quo frequentioribus Synodis sunt comprobata. Miles uitana Synodus Anno Christi 404. propter Pelagi & Celestij blasphemias conuocata : Et Augustini consilij, & doctrina gubernata huiusmodi decreta fecit,

DECRETA MILEVITANÆ  
Synodi, facta contra  
Pelagianos.

Placuit

I. Placuit ergo omnibus Episcopis qui fuerunt in hac sancta Synodo constituere hæc, quæ in præsenti concilio definita sunt: vt quicunq; dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

II. Item placuit, vt quicunq; paruulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissione quidem peccatorū eos baptizare, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacio expient, vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, nō vera, sed falsa intelligatur anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia catholica, vbiq; diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

III. Item, placuit vt quicunq; dixerit gratiam Dei, in qua viuiscamur per Iesum Christum Dominum nostrū, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit,

IV. Item, Quisquis dixerit eandem gratiam Dei, per

per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc  
tantum adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam no-  
bis reuelatur, & apperitur intelligentia mandatorum, vt  
sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem  
per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognoue-  
rimus, etiam facere diligamus atq[ue] valeamus anathema-  
sit. Cum enim dicat Apostolus, scientia inflat, charitas  
vero ædificat: valde impium est, vt credamus, ad eam  
quaæ inflat, nos habere gratiam Christi: ad eam quaæ ædi-  
ficat, non habere: cum sit vtrumq[ue] donum Dei, & scire,  
quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus, vt ædifi-  
cante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem  
de Deo scriptum est. Qui docet hominem scientiam; ita  
etiam scriptum est, charitas ex Deo est.

V.  
Item placuit, vt quicunq[ue] dixerit, ideo nobis grar-  
tiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubes-  
mur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam,  
tanquam & si gratia non daretur, non quidem facile, sed  
tamen possimus etiam sine illa, implere diuina mandata,  
anathema sit. De fructibus enim mandatorum Domini  
nus loquebatur, vbi non ait, Sine me difficultius potestis  
facere, sed ait: Sine me nihil potestis facere.

V.I.  
Item placuit, quod ait sanctus Iohannes Aposto-  
lus. Si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos  
seducimus, & veritas in nobis non est: quisquis sic acci-  
piendum putauerit, vt dicat, propter humilitatem ope-  
tere dici, nos non habere peccatum non quia veritas est,  
anathema sit. Sequitur enim Apostolus & adiungit:  
Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est &

P iustus,

iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniuritate. Vbi satis appareat, hoc non tantum humiliiter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere, si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est: sed cum ait, Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est, satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

VII. Item placuit, ut quicunq; dixerit, in oratione Dominica ideo dicere sanctos, Dimitte nobis debita nostra, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio, sed pro alijs, qui sunt in suo populo peccatores: & ideo non dicere vnum quenq; sanctorum, Dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro alijs potius, quam pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & iustus erat Apostolus Iacobus, cum dicebat: In multis enim offendimus omnes. Nam, quare additum est, omnes, nisi ut ista sententia conueniret & Psalmo, ubi legitur: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et in oratione sapientissimi Salomonis: Non est homo qui non peccet. Et in libro Job: In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam. Vnde etiam Daniel sanctus & iustus, cum in oratione pluraliter diceret: Peccauimus, iniuritatem fecimus, & cetera quae ibi veraciter & humiliiter confitetur, ne putaretur quemadmodum quidam sentiunt, haec non de suis, sed de populi sui dixisse peccatis: Postea dixit: Cum orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei, Domino Deo nostro: nos

luit dicere, Peccata nostra, sed populi sui dixit, & sua, quia  
futuros istos, qui tam malè intelligunt, tanquam Pro-  
pheta præuidit.

VIII. Item placuit, ut quicunq; verba ipsa Dominice  
orationis, vbi dicimus: Dímitte nobis debita nostra; ita  
volunt à sanctis dici, ut humiliter non veraciter, hoc di-  
catur anathema sit. Quis enim ferat orantem & non ho-  
minibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labijs sibi dicit  
dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur debita  
non habere. Huc usq; de fide contra Pelagianos.

Eodem Anno & Carthaginē Synodus est conuo-  
cata ab Episcopo Carthaginensi Aurelio: in qua simi-  
li sententia Pelagius & Celestius sunt damnati. Ac  
cum vtriusq; Synodi decreta Romam ad Episcopum In-  
nocentium mitterentur ab Ecclesia Romana sunt com-  
probata, ut testantur literæ Innocentij & Augustini.

Epistola  
Augusti:  
95.

Anno vero Christi 420. totius Africæ con-  
cilium est celebratum Carthaginē, in quo fuerunt  
217. Episcopi, inter quos Augustinus iam senex &  
egressus se xagesimum secundum annum eminuit. In  
iac Synodo Mileuitana decreta contra Pelagium &  
Celestium facta totidem verbis repetita & omnium Epis-  
coporum suffragio roborata sunt. Et missa rursus ad  
Romanum Episcopum Zosimum, eius quoq; authorita-  
te & calculo sunt confirmata.

Ex quo manifestū est, non solum ab Augustino verū  
ab omnib; orthodoxis Episcopis, et vniuersa adeo Eccles-  
P 2 sia Pe-

sia Pelagianorum blasphemias damnatas & explosas esse. Tertius quidem anathematismus, in quo ponunt gratiam non esse ad solam remissionem peccatorum restrin-  
gendarum, mihi non usque adeo satisfacit. Ex multis enim  
scripturæ sacre testimonij, & præcipue ex Epistola Pauli ad Roma: demonstrari potest, gratiam Prophetis &  
Apostolis significare remissionem peccatorum, seu re-  
conciliationem, donum vero per gratiam, seu veritatem,  
adpellari ab illis, Spiritus sancti donationem, & vivifica-  
tionem seu sanctificationem: Atque huius vocabuli (Gra-  
cia) sinistra interpretatio, in causa est, cur Augustinus in  
plerisque locis impropriè de iustificatione loquatur. Inte-  
rea firmiter retinuit hoc fundamentum, non esse in hos-  
mine eam arbitrii libertatem vel facultatem, ut ex se-  
vel Dei voluntatem intelligere, vel intellectam eligere  
& praestare posset. Quemadmodum in quarto anath-  
ematismo perspicue hec ponitur adseueratio, Vtrumque esse  
donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut  
faciamus.

**Prospfer:** Augustino præcipuo Pelagianorum, Antagonis-  
ta & Africanorum conciliorum gubernatore ex hac  
vita euocato, diuinitus excitatus est, constans gratiæ Dei  
ad assertor Prosper Aquitanicus Regiensis Episcopus, vir  
eleganter facundus & præclare doctus, Augustini dili-  
gens sectator. Hic tanto proprius nostræ accedit senten-  
tia, & presentem controversiam dirimit expressius, quan-  
to non solum crassos & iamdudum protritos Pelagi-  
ores, verum etiam Semipelagianorum nouis coloribus  
pictam hæresin, ac prorsus eandem, quam nunc Synergiz-  
us. Cum

us. Cum enim acerrimis Augustini scriptis, Africanorum conciliorum decretis, & Romanorum Episcoporum censuris blasphemiae Pelagi toti Ecclesiae innotuitur sent etiam illi, qui virus semel imbibitum, de libero arbitrio in pectore fouebant, conabantur inuidiam tam ex nomine Pelagi declinare. Itaque nouo fuso illum error rem quidam post obitum Augustini proponunt ac comminiscuntur concursum quendam causarum in hominis conversione, in qua partes præcipuas agat Spiritus sanctus, sed collaboret & liberum hominis arbitrium, & ab eo prodeat adsensus. Verum his fortiter restitit Prosper, & quam hoc libro adserimus sententiam tutatus est. Nam in carmine de Ingratis, prius Semipelagianorum sententiam his verbis refert etiamque rejicit.

GRatia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur,  
Limite nobiscum : & formam hanc adscribitis illi :  
Ut cunctos uocet illa quidem, inuitetque : nec ullum.  
Præteriens studeat communem adserre salutem  
Omnibus & totum peccato absoluere mundum.  
Sed proprio quenque arbitrio parere uocanti :  
Iudicioque suo, mota se extendere mente  
Ad lucem oblatam, que se non subtrahat illi :  
Sed cupidos recti iuuet illustrerique uolentes,  
Hinc adiutoris Domini bonitate magistra,  
Crescere uirtutum studia, ut quod quisque petendum,  
Mandatis didicit, iugi sectetur amore.

Hanc aduersariorum sententiam ubi exposuit, atque resellit : tum quid ipse sentiat pronunciat his versibus.

Synergia.

1. Verbum

2. Voluntas

3. Mens.

3. Spiritus

At si dimota certandi nube, serenis  
Quæ sunt uera oculis mecum intuere modeste:  
Et uetera exemplis manifestis plena uidebis  
Secula, & in nostro cognosces tempore multa,  
Quæ doceant uirtute Dei conuersa malorum  
Corda: quibus recti nihil unquam insederat, & que  
Nullum iustitiae signum sensumue gerebant.  
Namq; ut nunc se uas gentes & barbara regna  
Ignoti prius, aut spreti noua gratia Christi  
Attrahit, & terra templum sibi condit in omni:  
Sic prius immites populos, urbesq; rebelles  
Vincente obstantes animos pietate subegit.  
Non hoc consilio tantum hortatuq; benigno  
Suadens atq; docens, quasi normam legis haberet  
Gratia: Sed mutans intus mentem atq; reformans,  
Vasq; nouum ex fracto fingens, uirtute creandi.

Ac planius adhuc in eodem carmine:  
Deus ergo sepultos

Suscitat & soluit peccati compede uincitos.  
Ille obscuratis dat cordibus intellectum:  
Ille ex iniustis iustos facit indit amorem  
Quo redimetur amans: & amor quem conserit ipse est.  
Hunc itaq; adfectum, quo sumunt mortua uitam,  
Quo tenebrae fiunt lumen, quo immunda nitescunt:  
Quo stulti sapere incipiunt, egriq; ualescunt:  
Nemo alij dat, nemo sibi: non litera legis,  
Nec naturalis sapientia, que semel acta  
In precepit labi nouit consurgere nescit.  
Item: Vsq; adeo donum est quod credimus: & data gratis  
Gratia non merita ditat mercede uocatos.

Si quis suspicatur Prosperum, in carmine minus  
euidens

evidenter suam expressissimè fidem : quanquam hæc causula  
latio apud doctos locum habere non potest, ei licet mens  
tem ipsius in oratione soluta cognoscere. In Epistola ad  
Ruffinum inquit : Quis ambigat, tunc liberum arbitrii  
um cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei  
adfectum credendi obediendicq; generauerit? Et pau  
lo post : Non enim omnium est fides nec omnes cre  
dunt Euangelio : sed qui credunt, Dei aguntur spiritu :  
qui non credunt libero auertuntur arbitrio. Conuers  
io ergo nostra ad Deum, non ex nobis, sed ex Deo est :  
Sicut Apostolus dicit : Gratia salutis facti estis per fidem,  
& hoc non ex vobis, donum Dei est. Item, contra colla  
torem Cassianum : Non est ab ipso homine, quamuis  
non sine ipso sit, ista conuersio : nec propria virtute ad  
principalia salutis enititur. Sed agit hoc occulta & potens  
gratia Dei, quæ dimotis terrenarum opinionum & ope  
rum mortuorum fauillis, terrorem obruti cordis exagitat  
& desiderio veritatis inflammat, non ut inuitum homi  
nem subigat, sed ut subiectionis cupidum faciat, nec ut ig  
norantem trahat, sed ut intelligentem sequentemq; præ  
cedat. Item, Ab initio usq; ad finem, & inchoatio & per  
fectio boni operis Domino reputatur. Ac in tota colla  
tione hoc virget, omnium bonarum cogitationum prin  
cipia, & sanctæ voluntatis exordia, & æternæ salutis pia  
desideria à Deo inspirari. Ac tandem concludit & princi  
pia, & profectus & preseuerantiam in bonis usq; in finem  
Dei dona esse dicenda. Totus igitur noster est Prosper  
grauis testis.

Cum homines docti iudicēt eruditos libros de vocatiōe  
gentiū, qui titulo Ambrosi feruntur esse Prosperti, cuius rei  
grauius possunt adduci argum ; unū et alterū testimoniuū  
ex illis

illis adscribam, lib: 1. cap: 7. Omne hominis bonum meritum ab initio fidei, usque ad perseverantiae consummationem donum atque opus est diuinum. Cap: 8. & 9. multis illustribus scripturæ testimonijs docet: Fidem non haberi nisi ex munere Dei, voluntatem bonam à Deo præueniri & præparari, & omne bonum opus in nobis à Deo existere. Licet inquit, inest homini bonum nolle: tamen nisi donatum non habet bonum velle; illud contraxit natura per culpam: hoc recipit natura per gratiam: præluxit autem Ecclesiæ salutari doctrina hic Aquitanitus Prosper, & errorum nebulas quas Cassianus Monachus offundere nitebatur discussit, circa annum Christi 454.

Fulgentius.  
tus.

Laboribus & vita defuncto Prospero, excitatus est Fulgentius Afer ciuis Carthaginensis & Ruspensis Episcopus, circa annum Christi 500. Hic ut coeteros haeresitos, ac in primis Arrianos tunc late grassantes: sic & male liberi arbitrij ineptos precones grauiter confutauit, & doctrinæ ab Augustino vel potius ab Apostolis & Prophetis traditæ de seruo Arbitri: acerrimus extitit vindex. Libro 1. de prædest: ad Monimum: aliquoties repetit totum opus nostræ conuersionis, & initia sanctæ cogitationis, & rectam voluntatem, & perficiendi recta facultatem non à nobis, sed à Deo esse: Internus inquit Magister, à quo subsidium doctrinæ coelestis accipimus, non solum inquirentibus nobis, suorum aperit arcana sermonum, sed ut etiam queramus, ipse gratis inspirat affectum. Quia nec esurire panem illum, qui de cœlo descendit, possumus, nisi ab ipso fastidientibus esuries detur, qui se ad satiandos esurientes donare dignatur. Ab ipso etiam nobis est, quod ad fontem sitientes currimus, qui se nobis

nobis tribuit ut bibamus. Et eodem lib : Eadem sit ope-  
ratio gratiae, quae meritum hominis bonum, & initiat ad  
iustitiam & consumat ad gloriam : Primo inchoans in  
homine voluntatem bonam : deinde eandem voluntas-  
tem adiuuans inchoatam : ut eadem voluntas & diuino  
dono bona sit & diuino adiutorio malam superare con-  
cupiscentiam possit.

Hanc sententiam deinde multis scripturæ testimo-  
nijs munit, ac in primis vrgit illud Ezechielis : Dabo vo-  
bis cor nouum, ut in præceptis meis ambuletis : ac con-  
cludit tandem : Ex Deo esse & voluntatem bonam &  
operationem iustum. Et eodem lib : Ac primo totius bo-  
næ voluntatis initium ab illa sempiterna Trinitate (quæ  
vnuis solus & verus est Deus) & prædestinatum confite-  
mur & donatum. Et paulo post : Licet nostra sit fides, &  
nostra sint opera : Sicut Dominus dicit, secundum fidem  
tuam fiat tibi. Et beatus Ioannes prædicat : Hæc est vi-  
ctoria nostra quæ vincit mundum, fides nostra : Opera  
quoq; nostra Dominus ipse testatur, dicens : Sic luceat  
lux vestra coram hominibus, ut videntes vestra bona  
opera, glorificant patrem vestrum qui in cœlis est, tamen  
quia ista cum habemus, NON HABEMVS EX  
NOBIS NATA, sed à Deo donata, sicut Aposto-  
lus dicit : Nos autem non spiritum mundi accepimus,  
sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo do-  
nata sint nobis, &c. Propterea nullatenus sinimus, imo sa-  
lubriter prohibemus tam in nostra fide, quam in nostro  
opere, tanquam nostrum nobis aliquid vendicare. Dicit  
enim vas electionis : Quid autem habes quod non acce-  
pisti ?

Q

Hic

Hic fatis perspicue sententiam quam profitemur explicat Fulgentius. Docet initium bonæ voluntatis, atq; conuersione esuriem ac sitim diuinitus instillari, prohibet ne in fide nostra nostrum aliquid nobis vendicemus: tēz statur ex Deo esse & bonam voluntatē & operationem: Ex Pauli verbis colligit, Totum Deo adsignandum esse, quod vocemur, eligamur, iustificemur & glorificemur: Humanæ vero voluntati prorsus nihil relinquit, quin dī fertē negat ex nobis nasci bonæ voluntatis actiones: Cādīdus ergo arbiter inficiari non potest, eandem doctrinam de seruo arbitrio, & conuersione hominis per solam Dei operationem a Fulgentio traditam esse, quam & nos profitemur.

**Maxenti⁹** Maxentius quoq; non contemnendus scriptor, qui Fausti Regiensis Episcopi intempestiuis clamoribus graui & docta refutatione atq; constanti zelo restitit expresse nostræ adstipulatur sententia: Floruit autem Maxentius circa annum Christi 520. quod inde patet, quia ad Epistolam sub nomine Romani Pontificis Horimisdæ sparsam respondet, idq; ea facit παρρησία & grauitate, ut cuius facile adpareat, fuisse eum magnæ eruditionis, & egregiæ authoritatis virum in Ecclesia. His itaq; verbis in confessione sua Synergiaæ commentum, & totam Pelagianorum hæresin damnat, ac nostram explicat sententiam. Liberum autem naturale arbitrium, ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantum & desideranda carnalia, siue secularia: quæ non apud Deum, sed apud homines possunt fortassis videri glorioſa: Ad ea vero quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infus̄ sionem

sionem & in operationem intrinsecus Spiritus sancti, qui est etiam spiritus Christi: Abominantes eos qui contra vocem Apostoli audent dicere: Nostrum est velle, Dei vero perfidere, cum idem doctor & velle & perfidere, donum testetur esse diuinum.

Deinde in confutatione Epistolæ euulgatae sub nomine Hormisdæ, ex testimonij verbi diuinī conuincit, falso adseri à Fausto, Nostrum esse, quod prædicationi verbi cōsentiamus: falso etiam Faustum fidei partem sibi vendicare: falso adseri, quod credendi affectus seu facultas omnibus ex æquo inserta sit: ac grauiter docet foliis Dei gratia esse, & per Spiritum sanctum fieri in nobis, ut verbo Dei forinsecus intonanti adsensum præbeamus, & obedientes efficiamur,

His Orthodoxorum scriptorum testimonij, plane consentientibus cum Propheticis & Apostolicis scriptis, operæ precium erit, addere decreta concilij Arausicanij in Gallia Narbonensi circa hæc ni fallor tempora à quib[us] busdam doctis Episcopis celebrati. Scribunt sub Leone primo Romano Episcopo hanc conuenisse Synodus: quod si ita esset, haud dubie Prosper non parum vexatus hac controuersia, eius rei mentionem alicubi fecisset: Sed verisimilius mihi videtur celebratam esse hanc Synodum anno Christi 529. quo anno Decius iurior, cuius in actis Synodicis fit mentio, consulatum obtinuit. Sed parum refert, quo tempore Synodus fit celebrata: Decreta vero plena sunt veræ pietatis & solidæ doctrinæ.

DECRETA SYNODI ARAV<sup>s</sup>  
sione in Gallia Narbonensi ad Rhos  
danum, circa annum Christi 529. cea  
lebrata, facta contra Semia  
pelagianos Syner-  
gistas.

**S**i quis per offensam præuaricationis Adæ non totum (id est, secundum corpus & animam) in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa du- rante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium. Pelagi errore deceptus, aduersatur scripturæ dicen- ti : Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et nescitis, quoniam cui exhibitis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis : Et, à quo quis superatur eius, & seruus addicitur.

**II.** Si quis soli Adæ præuaricationem suam, non & eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis quæ poena peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ per vnum hominem in omne ges- nus humanum transiisse testatur iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti : Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit : in quo omnes peccauere- runt.

**III.** Si quis iuocationem humanam gratiæ Dei dia- cit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, vt in- uocetur a nobis, contradicit Esaïæ Prophetæ, vel Apo- stolo idem dicenti : Inuentus sum a non querentibus me, palam aparui his, qui me non interrogabant.

**III.** Si

III. Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Sancti spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti: Preparatur voluntas à Dominō, & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.

V. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eo credimus, qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis persuemus non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersariis approbatur, beato Paulo dicente: Confidimus quia qui coepit in vobis bonum opus perficiet usque in diem Domini nostri Iesu Christi. Et illud: vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini: Et, gratia salvi facti estis per fidem non ex vobis, Dei enim donum est. Qui enim fidem qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

VI. Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, potentibus, querentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, ut creamus, velimus vel haec omnia, sicut oportet agere vocationem per infusionem & inspirationem Sancti spiritus

In nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientia  
humanæ sunt, iungit gratiæ adiutoriorum nec ut obediens  
tes & humile sumus, ipsius gratiæ donum esse consentit,  
resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non acce-  
pisti? Et gratia Dei sum id quod sum.

VII. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod,  
quod ad salutem pertinet vitæ æterne, cogitare, aut expe-  
tere, aut eligere, siue salutari, id est, Euangelizanti prædi-  
cationi consentire posse confirmat, absq; illuminatione  
& inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus facultas  
tem inconsentiendo, & credendo veritati hæretico fallis-  
tur spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangeliō dis-  
centis: Sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli:  
Non sumus idonei, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nos-  
bis, sed sufficientia nostra ex Dō est.

VIII. Si quis alium misericordia, alium vero per lis-  
*Sic coni-j-*berum arbitrium, quod in omnibus, qui de prævaricatio-  
*cio legen-*nē primi hominis nati sunt, constat esse fauciatum, ho-  
*dum esse:* minem ad gratiam baptismi posse venire contendit, à re-  
*Nam (ſe-*cta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum  
*uitia) hic* arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum,  
*non habet* aut certè ita Iesum putat, vt tamen quidā valeant, sine re-  
*locum.* uelatione Dei, mysterium salutis æternæ per semetiplos  
posse conquirere. Quod quam sit contrarium ipse Do-  
minus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse  
venire testatur: nisi quem pater attraxerit. Sicut & Pe-  
tro dicit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis  
non reuelauit tibi, sed pater meus qui in celis est. Et Apo-  
stolus: Nemo potest dicere Dominum Iesum Christum,  
nisi in Spíritu sancto.

IX. De

**X.** De adiutorio Dei: Diuini est muneris, cum & recte cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atq; nobiscum ut operemur operatur.

**X.** De adiutorio Dei: Adiutorium Dei etiam res natis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum inuenire, & in bono posint opere perdurare.

**XI.** De obligatione votorum: Nemo quicquam Domino recte voverit, nisi ab ipso acceperit, sicut legitur. Quae de manu tua accepimus damus tibi.

**XII.** Quales nos diligit Deus. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

**XIII.** De reparatione liberi Arbitrij: Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari. Quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ipsa veritas dicit: Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis.

**XIV.** Nullus miser de quantacunq; miseria liberaatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur, sicut dicit Psalmista: Cito anticipet nos misericordia tua Domine. Et illud: Deus meus misericordia eius præueniet me.

**XV.** Ab eo, quod formauit Deus, mutatur Adam: sed in peius per iniuriam suam: Ab eo quod operata est iniurias, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio, fuit prævaricatoris primi; hæc secundum Psalmistam mutatio dexteræ excelsi.

**XVI.** Ne

**XVI.** Nemo ex eo quod videtur habere ,glorietur,  
tanquam non acceperit : aut ideo se putet accepisse, quia  
litera extrinsecus, vel vt legeretur aparuit, vel vt audiret-  
ur, sonuit. Nam sicut Apostolus dicit: Si per legem iusti-  
tia, ergo Christus gratis mortuus est. Ascendens in altū,  
captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: In-  
de habet quicunq; habet. Quisquis autem inde se habe-  
re negat, aut verē non habet, aut id quod habet, aufere-  
tur ab eo .

**XVII.** De fortitudine Christiana : Fortitudinem  
gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christiano-  
rum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus no-  
stris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum san-  
ctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præue-  
nientibus.

**XVIII.** Debetur merces bonis operibus, si fiant:  
sed gratia quæ non debetur præcedit vt fiant.

**XIX.** Neminem nisi Deo miserente salvari: Natu-  
ra humana etiamsi in illa integritate, in qua est condita  
permaneret, nullo modo seipsum, creatore suo non adiu-  
quante, seruaret. Vnde cum sine gratia Dei salutem non  
possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia  
poterit reparare quod perdidit :

**XX.** Nihil boni posse hominem sine Deo : Multi  
in homine bona fiunt, quæ non facit homo : Nulla vero  
facit homo bona , quæ non Deus præstet, vt faciat ho-  
mo.

**XXI.** De

**XXI.** De natura & gratia. Sicut eis qui volentes in  
lege iustificari, & à gratia exciderunt verissimè dicit A= Locus mua  
tilatus,  
postolus : Si ex lege iustitia est, ergo Christus gratis mor- tuus est. Iam hic enim erat lex & non iustificabat ; iam hic erat & natura & non iustificabat ; ideo Christus non gratis mortuus est, vt & lex per illum impleretur, qui dixit : Non veni legem soluere, sed ad implere : & natura per Adam perdita, per illum repararetur qui dixit, venisse se quærere & saluare quod perierat.

**XXII.** De his quae hominum propria sunt. Nemo  
habet de suo nisi mendacium & peccatum : Si quis au- tem habet homo veritatem & iustitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo, quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.

**XXIII.** De voluntate Dei & hominis : Suam vo- luntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displaceat. Quando autem ita faciunt quod vo- lunt, vt diuinæ seruant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illorum tamen voluntas, est à quo præparatur, & iubetur, quod volunt.

**XXIV.** De palmitibus vitis. Ita sunt in vite pal- mites, vt viti nihil conferant, sed inde accipient, vnde vi- uant. Sic quippe viti est in palmitibus, vt vitale submis- nistret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest & non Christo. Nam præciso palmite potest de vi- ua radice aliis pullulare : Qui autem præcisus est, non potest sine radice viuere.

**X X V.** De dilectione qua diligimus Deum. Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Disponentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris spiritus, patris & filii, quem cum patre amamus & filio. Ac sic secundum supra scriptas sanctorum scripturarum sententias, vel antiquorum patrum definitiones, hoc Deo propiciante & praedicare debemus, et credere quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea, aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia diuina praeuenerit. Vnde Abel iustum, & Noe, & Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnem antiquorum sanctorum multitudinem, illam precepit claram fidem, quam in ipsorum laudem praedicit Apostolus Paulus, non per bonum naturae, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quia gratiam, etiam post aduentum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi nouimus simul & credimus largitate conferri, secundum illud, quod iam supra dictum est, & praedicat Paulus Apostolus. Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Et illud, Deus, qui coepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri. Et illud, Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Et quod de se ipso ait, Apostolus: Misericordiam consecutus sum ut fidelis essem. Non dixit, quia eram, sed, ut essem. Et illud, quid habes, quod non acceperisti? Et illud, Omne datum bonum, & omne donum perfectum,

Etum, de sursum est, descendens a patre luminum. Et illud: Nemo habet quicquam boni, nisi illi datum fuerit desuper.

Innumerabilia sunt sanctorum scripturarum testimonia, quae possint ad probandam gratiam proferri: sed breuitatis studio praetermissa sunt, quia & reuera, cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quae ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum diuina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatio ne in illis anathema dicimus.

Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono, non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nobis multis praecedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi Sacraenta fideliter requiras, & post baptismum cum ipsius adiutorio, ea quae sibi sunt placita, implere possimus. Vnde manifestissime credendum est, quod & illius latronis quem Dominus ad Paradysi patriam retrocauit, & Cornelij Centurionis, ad quem angelus Domini missus est, & Zachei, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed diuinę largitatis donū. Et quia definiti onem antiquorū patrum, nostrarūque supra scripta sunt, non solum religiosis, sed etiam laicis, medicamentū esse, & defideramus et cupimus. Placuit ergo ut etiam illustres ac

R 2 magnis

magnifici viri, qui nobiscum ad prefatam festiuationem conuenierunt propria manu subscriberent: Cesarius in Christi nomine Episcopus constitutionem nostram relegi, & subnotans subscriptis, quinto Nonas Iulij, Decio Iuniore viro clarissimo consule,

Post hec tempora non facile reperitur aliquis scriptor, qui articulum de viribus humanis, absq; Philosophis additamentis sincere tradiderit. Extat quidam libelus Honorij Augustodunensis presbyteri, qui sub Hincrico quinto claruit anno Christi 1120, de praedestinatione & libero arbitrio: In quo libello huiusmodi sententia defenditur. Nam ante peccatum est arbitrium in homine liberum. Postquam vero bono postposito malum, id est, peccatum per consensum elegerit, iam non liberum sed captiuum erit: A quo enim quis vincitur, illius & seruus efficitur. Hæc plane congruunt cum nostra confessione. Verum Honorius, non iusta disputatione explicat controtersiam: Nec obscure notat, quamuis sint tentia admodum quæ scribit: se tamen ea adserere, quæ à recepta tum in scholis & Ecclesijs sententia plurimum abhorreant, nec sine periculo isto seculo proferantur. Male enim diluta Philosophia iam tum nimium occupauerat scholas.

Et quia Petrus Longobardus videbatur infinitas Theologorum disputationes, in quoddam compendium contraxisse, & Augustini & aliorum Patrum dicta, magna diligentia & mediocri iudicio collegisse, omnes proximodum eum sequentes scriptores, eius sententiam sunt imitati.

Nostra autem ætate immenso Dei beneficio præcis  
pua res

Pura religionis capita depulsis errorum nebulis denuo  
sunt illustrata, & ad normam verbī diuinī præclare resti-  
tuta : Atq; inter alia, & dogma de virib; humanis pure  
est traditum. Sic enim habet Augustanæ confessionis <sup>Augustana</sup>  
articulus 5. Nam per verbum & Sacra-<sup>na con-</sup>  
menta donatur Spiritus sanctus, qui fidem effi-<sup>feſſio-</sup>  
cit, vbi et quando vīsum est Deo, in ijs qui audiunt Euani-  
gelion : Et articulo 18. De libero arbitrio docent, quod  
humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficien-  
dam ciuilem iustitiam, et diligendas res rationi subiectas.  
Sed non habet vim sine Spiritu sancto efficiendā iusti-  
tiae Dei : seu iustitiae spiritualis, quia animalis homo non  
percipit ea quae sunt spiritus Dei : Sed hæc sit in cordis  
bus cum per verbum Spiritus sanctus concipitur. Hanc  
sententiam nunc tueri cupimus aduersus Synergistas,  
quam tum verae Ecclesiae Dei doctores, in illis celeberrimis  
comitijs Augustanis sunt professi.

Postremo Martinus Lutherus, fœlicis memorie, <sup>Martinus</sup>  
& decus nostri seculi, quanto studio oppugnarit, <sup>Lutherus.</sup>  
& quo argumentorum pondere obruerit plane figmen-  
ta Philosophorum & haeticorum de libertate humanæ  
voluntatis, satis est manifestum. In omni enim certamine  
de corpore doctrinæ, quod ei fuit non cum vna aut alte-  
ra Academia, sed cum toto orbe totos viginti octo an-  
nos, semper simul mota est controuersia de libero arbis-  
trio : Ideoq; paſſim in omnibus eius scriptis illustria oc-  
currunt testimonia, quibus nostram stabilire possumus  
sententiam. Satis autem erit vnum & alterum hic pro-  
tulisse dictum, in quo dilucide adpareat, nos in hac effi-  
ctæ Synergiae confutatione nihil adferre noui, sed do-

doctrinam à reuerendo viro D. Lutherò traditam, & ex  
veris fundamentis extractam sequi.

In Genes: fol: 24. Habemus quidem liberum quodam modo arbitrium, in ijs quæ infra nos sunt: Sumus enim constituti mandato diuino Domini piscium maris, volatilium cœli, & bestiarum agri: Sed in ijs quæ ad Deum attinent, & sunt supra nos, homo nullum habet liberum arbitrium: sed vere est sicut lutum in manu figuli, positus in mera potentia passiva, non activa. Ibi enim non eligimus, non facimus aliquid, sed eligimur, paramur, regeneramur, accipimus: sicut Ie-saias inquit: Tu figulus nos lutum tuum. Quid posset magis diserte de hac causa dici? Adfirmat nullum esse hominis liberum arbitrium, in ijs quæ ad saltum pertinent æternam: fatetur hominem esse in potentia passiva, non activa: hominem esse lutum, Deum vero figulum nostrum. Hanc sententiam in hoc libro profitemur.

Pag: 115. enarrans locum Gene: Omne figmentum cordis humani tantum est malum omni tempore, ad dit: Hic est locus quo nos vsi sumus contra liberum Arbitrium, de quo Augustinus scribit, quod sine gratia seu Spiritu sancto, ad nihil valeat, quam ad peccandum. Et paulo post. Concludimus ergo vniuersaliter: Quod homo sine Spiritu sancto, & sine gratia NIHIL potest facere, quam peccare: & ita progreditur in infinitum de peccato in peccatum.

Quam sententiam Lutherus in seruo arbitrio contra Erasmus profiteatur atq; defendat manifestius est, quam vt commemoratione sit opus: Validissimis enim argu-

argumentis è scriptura depromptis expugnat ementis  
tam Synergiam, & ostendit hominis mentem & volun-  
tatem, prorius nihil agere in conuersione, sed tantum pa-  
ti ab agente & mouente spiritu. Ac suam de seruo arbitrio  
trio sententiam his significantibus verbis explicat : Sicut <sup>Pag: 52.</sup>  
homo antequam creatur, vt sit homo, nihil facit aut co-  
natur, quo fiat creatura : Deinde factus & creatus nihil  
facit aut conatur quo perseveret creatura : sed vtrumq;  
fit sola voluntate omnipotentis virtutis & bonitatis Dei,  
nos sine nobis creantis & conseruantis. Sed non ope-  
ratur in nobis sine nobis, vt quos ad hoc creauit & ser-  
uauit, vt in nobis operaretur, & nos ei cooperaremur,  
sive hoc fiat extra regnum suum generali omnipoten-  
tia, sive intra regnum suum singulari virtute spiritus sui.  
Sic deinceps dicimus : Homo antequam renouetur in  
nouam creaturam regni spiritus, Nihil facit, nihil  
conatur, quo paretur ad eam renouationem & regnum.  
Deinde recreatus nihil facit, nihil conatur quo perseueret  
in eo regno : Sed vtrumq; facit SOLVS spiritus in  
nobis : nos sine nobis recreans & conseruans recreatos.  
Vt & Iacobus dicit : Voluntarie genuit nos verbo vir-  
tutis suæ, vt essemus initium creaturæ eius : Loquitur  
de renouata creatura. Sed non operatur sine nobis, vt  
quos in hoc ipsum recreauit & conseruat vt operaretur  
in nobis, & nos ei cooperaremur.

Nihil sane dilucidius ad hanc causam adferri potest.  
Conseruit Lutherus regenerationem cum prima creatio-  
ne, quod & Prophetis & Apostolis est familiare. Sed  
nemo tam insanus est, vt adserat Synergiam nostræ vo-  
luntatis concurrere ad nostri creationem. Ergo neq; in  
reparas

reparatione seu conuersione locum habet. Arbitrio noſtro prorsus **N I H I L** tribuit: Spiritui sancto **S O L I** adſcribit opus conuerſionis. Quam illuſtris & grauis ergo patronus ſit noſtra ſententia. Lutherus pius & cordatus Lector ſecum aſtimet.

Nos æterno Patri gratias agimus ex animo, quod ſemper aliquos sinceros excitauit doctores, qui ſalutarem veritatem tuerentur, & blaſphemos errores refutaunt: Cuius beneficio & hæc ætas fideles habet verbi miniftriſ, qui corruptelis pernicioſis reſiſtant: Ac eundem ſanctum Deum ardentि pectore oro, vt perpeſuo excitet ſuo ſpiritu ſalutaria organa, & conſtantes pro pugnatores veritatis, qui & alijs blaſphemis malorum ſpiritiuum contradicant, atq; etiam Synergistarum & deſenſorum male liberi arbitrii blaſphemata ora obſtruant: Ut gratia patris æterni, & merita Christi, & beneficia Spiriṭuſ ſancti tanto ſint conſpectiora.

## CAPVT VI.

### HISTORICA NARRATIO DE erroribus ſparſis contra ſacram ſcripturam, in articulo de viribus humanis.

**C**Vm ad controuerſiæ alicuius diſputationem, tum ad vitandas iſidiās praefigiatorum, qui veteres & iamdudum explosos errores nouis indutos coloribus, plerumq; in ſcenam reducere ſolent, conducit plurimum probe tenere veteris Ecclesiæ historiam: noſſe veteres dogmaſ

dogmatum controversias, intelligere quibus argumentis  
vtrinque sit certatum, ac scire quae fuerint saniorum Pasto-  
rum Ecclesiæ iudicia & sententiae. Ut enim insidijs hostis  
patefactis facilius quis sibi cauere, ac se se munire potest :  
ita cum constat veteres doctrinæ corruptelas iam dudum  
graui iudicio Ecclesiæ refutatas à seductoribus renouari,  
& minore labore refelli, & firmiore iudicio repudiari  
possunt. Quæ igitur prauæ opiniones à prophanis inge-  
nijs, contra Ecclesiæ doctrinam de viribus humanis effi-  
ctæ sint Deo duce recensabo. Duræ autem clas-  
ses nobis hic constituendæ sunt : Siquidem in vtramque  
partem à regia via est declinatum, Alij adeo nullam con-  
cedunt hominis voluntati libertatem, ut ipsi quoque Deo  
hanc laudem eripere non vereantur: Et contendant, om-  
nia fieri fato, ac necessitate ineuitabili, ipsa etiam scelera  
hominum fieri fatali nexu cohærentium causarum.  
Omnem igitur contingentiam & libertatem hi tollunt ē  
natura. Huic classi adiungemus, Manichæos, Enthusia-  
stas, Schvuenckfeldianos, qui et si differunt opinionum  
Portentis, tamen magna est inter eos adfinitas.

Alij in alteram peccarunt partem, ac contra scrip-  
turam Apostolicam, homini voluntati tribuerunt ab  
omni necessitate solutam libertatem, cum in ciuilibus,  
tum in spiritualibus actionibus : Licet horum quoque  
sententiae diuersæ & discrepantes sint. Illos igitur Stoï-  
cos, Manichæos & Enthusiastas : Hos Peripateticos, Pe-  
lagianos & Synergistas adpellabimus.

STOICORVM, MANICHÆORVM ET  
Enthusiastarum opiniones,

S

Verissimis

*Ad Ctesi:* Verissima est vox Tertulliani & Hieronymi, Phis  
*Phont:* Iosophi hæreticorum Patriarchi puritatem Ecclesiæ, per-  
uersa maculauerunt doctrina. Propemodum enim omnes  
errores, qui tanquam cœno turbarunt & veneno infec-  
runt fontes salutares Israel à Philosophorum deliris com-  
mentis originem traxerunt, aut saltem furos inde sunt  
mutuati. Valentianorum furores de æonibus non mul-  
tum differunt ab Hæsiodi Theogonia. Deliria Manetis  
& Marcionis, qui commenti sunt duo numina alterum  
bonum, alterum malum, haud dubie nata sunt ex Demos-  
criti figmento, qui teste Plinio posuit duos Deos, Bene-  
cium & Pœnam: συναλιφή Sabellij, quæ personas diuinis  
tatis confundit, ex Philosophorum lacunis haustam ne-  
mo dubitat. Hermogenis error de æternitate materiæ  
congruit cum Zenonis dogmate, quod duo statuit prin-  
cipia æterna λόγος καὶ νόημα. Omnes corruptulæ in articulo  
lo de iustificatione, nihil nisi Philosophiam sapient. Ita  
& in hoc articulo de viribus humanis, ab insanis Philoso-  
phis descendunt errores.

Philosophi enim vt Democritus, Empedocles, He-  
raclitus, Zeno authores sunt, omnia fieri fato ita, vt id  
fatum vim & necessitatem adferat omnibus euentibus.  
Nihil igitur liberum relinquunt neq; in Deo, neq; in  
voluntate vel hominum, vel angelorum. Vnde seques-  
etur omnia etiam sclera fieri fatali & ineuitabili ne-  
cessitate, & quidem ipsum Deum esse scelerum authorem  
& causam. Omnia enim contendunt pendere ex cau-  
sis æternis & antecedentibus: Et fatum esse volunt,  
eiusmodi implexam causarum cohærentium seriem, in  
qua nulla queat aliter agere quam a præcedente fuerit  
mota,

mota, nec primam aliter mouere posse, quam ab omni  
æternitate fuerit constitutum, vel ut Democritus delirat,  
quam concursus impulerit. Sunt autem in hoc figmento  
Democriti & Stoicorum multi & blasphemæ errores.

I. Primum ipsum Deum libertate sua spoliant. Fin-  
gunt enim Deum necessario condidisse quæ fecit, & cau-  
sarum nexu atq; serie ita adstrictum esse, vt aliter moue-  
re vel agere nequeat, quam causæ ferantur, atq; ita fa-  
tum tanquam teturum idolum supra Deum extollunt.

II. Similis blasphemæ & furoris est quod fingunt  
omnia scelera fieri necessitate fatali, & quidem causa  
prima sequentibus vim & necessitatem agendi impo-  
nente: vnde illud est in Tragœd: Fati ista culpa est,  
nemo fit fato nocens. Et Zenonis seruus cum de  
furto accusaretur, in fatum transferre culpam cona-  
tus est,

III. Tertio tollit hic error omnem humanæ voluntatis libertatem. Quemadmodum Cicero testatur: At <sup>de fato</sup> qui introducunt causarum seriem sempiternam, hi men-  
tem hominis voluntate libera spoliatam necessitate fati  
deuincent. Laborauit quidem Chrysippus honorarius  
arbiter inter Stoicos & Peripateticos, vt Cicero inquit,  
vt & fatum tueretur, & recisa necessitate liberam homi-  
nis voluntatem retineret. Itaq; causas distinxit, alias per-  
fectas & principales, alias proximas & adiuuantes adpel-  
lavit. Vnde credo Oenomaus vt Eusebius refert, dixit:  
Democritus seruos fecit hominū animos, Chrysippus ve-  
ro semiseruos. Verum ne sic quidē effugit Chrysippus vel

necessitatem, vel blasphemiam quæ Deum constituit peccati authorem; vult enim omnia fieri antecedentibus causis, & hanc seriem sempiternam seu nexus non posse dissolui.

Hunc igitur Stoicorum & Democriti errorem ex plodimus; Dicimus Deum nullis causis alligatum esse, sed omnia ut condidit, ita & regit liberrima sua voluntate expers omnis externæ necessitatibus; ipse sibi existens & potestas liberrima, & libertas necessaria. Neq; vlla ratione dicendum aut cogitandum est Deum esse authorem vel causam peccati; præterea condidit Deus libera hominis voluntatem, quæ absq; externa necessitate potuisset persistere in vera iustitia. Et licet peccato fracta & amissa sit hæc libertas; quantum tamen ad exter nas & ciuiles actiones hominis pertinet, sunt hæ sitæ in eius arbitrio & voluntate saltem aliquo modo.

Valentia  
nia orum  
deliria.

Stoicorum deliria de fato, Primum in Ecclesiam quantum literis proditum est, inuexit Valentinus AEgyptius in schola Alexandrina institutus, statim post Apostolorum tempora. Finxit enim hæc vipera, vt Ireneus & Epiphanius testantur, tria hominum genera, alios spirituales, alios animales, alios terrenos. Spirituales dicit ex fatali necessitate saluari, quidquid egerint, & quomodo cunq; vixerint: Adeo ut etiamsi horrendis fæsi polluant sceleribus, tamen salute non posse excidere. *χοίνικοὺς* vero seu *ὑλικοὺς*, seu *γηριώτες* quos nominat, necessario perire, nec vlla ratione saluari posse, siue audiant, siue contemnant verbi prædicationem, siue pie, siue scelerate viuant. Medios vero quos *ὑπερχοίνικοὺς* adpellat, dubiæ salutis stauit, si recte vixerint præmia adepturos, sin perperam poenas.

poenas. Hi furores partim in stoā Zenonis, partim in schola Peripateticorum sunt nati. Augustinus scribit Valentimum non arbitrio hominis, sed naturae mundi, id est, generi Diabolico tribuisse maliciam, quod est indicium constituisse eum quendam fatalem peccandi necessitatem. Turbauit autem hic præstigiator Ecclesiam tempore Antonini pīj circa annum Christi 140.

Montanus & erroris Pepusianorum sociæ Priscil<sup>la</sup> Montanus  
la & Maximilla, sub M. Antonino vero virus suum in  
Ecclesiam effuderunt: Hi Enthusiasmos, id est, raptus &  
furiosos adflatus predicarunt: quod nimurum capti men-  
te ignari effutiuissent Spiritus sancti oracula esse volue-  
runt. Epiphanius scribit Maximillam solitam dicere, se  
inuitam & necessitate coactam rapi & agi ut vaticines-  
tur. Hæc secta Cataphrygum violentos raptus animo-  
rum contra scripturam finxit, vbi voluntas tota relucta-  
retur, & ludibria Satanæ in mente furiosa opus Spiritus  
sancti appellauit.

Manes persa, à quo Manichæi, quæ secta exorta est Manes.  
Imperante Aureliano, circa annum Christi 274. Fatum  
stoicum ex professo in Ecclesiam inuexit : Prorsus susti-  
lit liberum arbitrium, & contendit omnia fieri fatali ne-  
cessitate : testis est Socrates Eccl : lib : 1. cap : 22. Pecca-  
torum originem non libero arbitrio voluntatis : sed sub-  
stantia tribuit gentis aduersæ. August : de hære : Fin-  
xit enim duplœm substantiam, seu naturam, aliam bo-  
nam, aliam malam : Hanc tenebras, illam lucem adpellat-  
uit. Quod ex luce profectum esset, id necessario bonum  
esse, quæ vero ab aduersa natura essent profecta necessa-

rio & immutabiliter esse mala & damnanda : quæ era  
rorum portenta vt Socrates monet ex Empedoclis maz  
le diluta Philosophia hausit . Argumento huiusmo<sup>d</sup>i  
vsi sunt Manichæi : Si datum esset homini liberum  
arbitrium , Deus si non author , saltem adprobator  
existeret peccati . Sed Deus non est causa peccati .  
Ergo nec liberum arbitrium datum est homini . Atq;  
ita fingit peccatum esse quiddam conditum à Deo ma  
lo : quemadmodum & corpus in quo h<sup>e</sup>rebat peccatum .  
Animam vero esse de substantia Dei boni , atq; ideo ne  
cessario bonam esse , & saluari .

Hic vero nunc obseruet candidus Lector , quam  
foeda sit istorum hominum calumnia , qui vt inuidiam fa  
ciant sanæ doctrinæ Christi , de amissa libertate huma  
næ voluntatis in adipiscenda virtutifica conuersione ad  
pellant eam Manichæos furores . Infinitum enim  
discrimen hic conspicitur , inter deliria Manichæorum  
& Ecclesiæ confessionem . Manichæi duo numina  
sibi aduersa fingunt , & duas diuersas naturas , seu ani  
marum species : quarum illas lucem , has tenebras vo  
citant . Nos verum unicum tantum eumq; bonum  
& iustum Deum profitemur . Manichæi fingunt ho  
mini non esse datum liberum arbitrium : Et peccatum à  
malo Deo conditum esse . Nos credimus hominem  
libera voluntate conditum esse , & peccati originem  
esse à libera voluntate Satanæ & hominis . Mani  
chæi animarum salutem adtribuunt naturæ bonitati ,  
eo quod pars sit substantiæ diuinæ , damnationem cor  
porum tribuunt materiæ necessitatí , quæ sit à ma  
lo Deo . At nos beatorum redemptionem , & salu  
tem

tem liberrimæ gratiæ Dei adscribimus : damnationem  
vero reproborum , non ex substantia , sed ex peccato ,  
quod voluntate commissum est oriri docemus . Sacri-  
lega igitur calumnia est , veram sententiam Propheti =  
cam de amissâ libertate voluntatis Manichæi erroris in-  
simulare . Est autem familiare Pelagianis obijcere pijs  
doctoribus Manicheismum , quemadmodum Iulianus &  
alij Augustino fecerunt ,

Nostra ætate Enthusiaſtarum & Montanistarum  
deliria renouauit , Caspar Schyuenckfeld ; is enim fingit  
Deum in mente hominis operari absq; ministerio , &  
Enthusiasmis rapí homines ad Deum . Hic ergo non  
solum tollit liberum hominis arbitrium , quod & nos ex-  
plodimus in hominis conuersione , verum etiam vsum  
externi ministerij per quod efficax est Deus ad salutem  
aufert ex Ecclesia . Refutatur autem testimonij expres . Rom : 10<sup>6</sup>  
sis . Fides ex auditu est . Item , Euangelion est potentia Rom : 1<sup>6</sup>  
Dei ad salutem omni credenti .

Ad Stoicam opinionem quodammodo accedit  
Caluinus . Etsi enim respuat adpellationem fati , inficietur  
etiam continuum causarum nexum & sempiternam se-  
riem : nolit adserere Deum esse causam peccati : tamen  
contendit ita omnia fieri necessario , ut non dubitet adfir-  
mare , lapsum Adæ , Iudæ proditionem , & omnia scelera  
necessario fieri , eaq; facta esse , & similia fieri ordinante ,  
mandante , & voluntate efficaci destinante Deo . At cum  
vniversa sacra scripture testetur Deum nec velle , nec  
probare , nec mandare peccatum , iuxta dictum : Non  
Deus volens iniquitatem tu es . Item , Hæc sunt quæ odi  
dicit

dicit Dominus, Cumq[ue] constet indubio testimonio scripturæ, hominem ita conditum & voluntatis libertate à Deo instructum fuisse, ut in ipsius fuerit situm arbitrio, vel persistere in iustitia, vel deficere ad peccatum, atq[ue] ex hoc lapsu primi hominis voluntas omni libertate spoliata, onere seruitutis sit oppressa, non immerito exploditus Caluini stoico fato nimis vicinam sententiam.

PHILOSOPHORVM, PELAGIANORVM  
& Synergistarum opinione, de  
libero Arbitrio,

Declinarunt in alteram partem à veritatis semita, cum Philosophi, tum scriptores Ecclesiastici multi, in primis Pelagianum sodalicium, & Synergiae inuentores, Philosophi nihil de conuersione hominis: neq[ue] de spiritalibus motibus regeneratorum, intellexerunt: atq[ue] hoc ipso saniores fuerunt hæreticis: Nam de actionibus huius manæ mentis, & voluntatis loquuntur, quoties in nostro arbitrio & voluntate esse volunt adseniones & adepti sunt. Quia vero hanc libertatem eo extendunt, ut arbitrentur, in hominis voluntate situm esse, eam consequi iustitiam & virtutem, qua ad vitam beatam perueniatur, error ipsorum hic commemorandus est.

Philosophorum ergo præsertim Peripateticorum opinio fuit, animos hominum ita liberos esse ab omni necessitate, ut veram iustitiam mente intelligere, iudicio eligere, studio exequi, vel mutata voluntate respuere possint. Altera inquit Cicero sententia est eorum, quibus videntur sine ullo fato animorum motus voluntarij. Hinc

Cicero de  
fato.

Hinc est arrogans illa vox Senecæ. Quod viuimus Deo<sup>s</sup> Seneca.  
rum est munus, quod recte sancte<sup>s</sup> viuimus nostrum  
est. Ac Cicero adeo vehemens fuit liberæ voluntatis pa-  
tronus, vt is teste Augustino, malit diuinationem, ac præ-  
scientiam futurorum, atq; ita ipsum Deum tollere, quam  
concedere vt voluntas sua spolietur libertate. Putat  
enim consequens esse, vt si adsensiones & actiones non  
sint in nostra potestate, nec laudationes, nec vituperatio-  
nes, nec honores, nec supplicia sint iusta: imo sublata ani-  
morum libertate, putat omnium legum, disciplinarum,  
exercitiorum, iudiciorum, studiorum, & conatum vsum  
euerti. Itaq; decernit adsensiones & actiones omnes esse  
in nostra potestate, & vt loquuntur, nos esse Dominos  
nostrorum motuum. Atq; hæc fere omnium Philoso-  
phorum persuasio fuit, menti humanæ inditam esse eam  
lucem, quæ monstrat quid sit iustum, quid iniustum, quid  
rectum & salutare, quid prauum & noxiūm. Deinde vo-  
luntatem quasi Dominam sui iuris esse, eligere quod vi-  
sum fuerit, & vel ad iustitiam cum honore & præmio vi-  
tae, vel ad scelera cum dedecore & supplício sponte sua  
sese inclinare: atq; ita sibi ex sese ad virtutem, & beatam  
vitam adsequendam sufficere.

Lib: 5<sup>a</sup>  
de ciuit:

Hic vero satis mirari nequeo Stoicæ sectæ adsero-  
res adeo parum sibi constitisse, vt cum omnia fato & ex  
naturali colligatione causarum, & necessario fieri con-  
tenderint, ijdem tamen libertatem voluntatis præ alijs  
Philosophis omnium superbissime adseruerint. Nam vt  
refert Laertius Zeno sapientes suos quos fingit, non so-  
lum liberos, verum etiam reges constituit & utρηστορική  
πολιτείαν ipsis attribuens. Vnde & stoica illa paradoxa,

T

solos

solos sapientes esse liberos: Et sapientem semper perfecto ut animo. Eo enim dementiae prolapsi sunt, ut fingerent hominem si velit posse sine peccato esse, omnesque affectus & animi perturbationes ut aduersas rationi hominis voluntate euelli e pectore, & æquabilem & in omni virtute constantem animum posse seruari. Adeo in utramque partem omnium stolidissime de libero arbitrio nugati sunt Stoici.

Paulo verecundius & humanius de homine locuti sunt Peripatetici. Neque enim omnes affectus dixerunt viciosos, neque omnes animi perturbationes extingui posse. Affectus vero per se non esse vicia, sed iudicio regens dos & moderandos esse. Idcirco Hieronymus cum sententiam Pelagi adserentis homines, si velint absque peccato esse posse, refutare instituit, dicit veterem fuisse hanc inter Stoicos & Peripateticos controversiam. Stoicorum itaque ἐπαθεία, & arroganter adpellatum regnum voluntatis detestamur. Et ceterorum νόγον πρέστη τε ἔρισα προκαλέσντα, ἀνθαιρέτηρ δρυμή, καὶ προαιγεῖται, cum de vera virtute, ac de ihs quæ ad vitam æternam perdunt agitur omnino respuimus, & ex Ecclesia ex plodimus.

Parum aut fere nihil discessit ab hac Philosophorum opinione Pharisæorum secta. Nam ut historia Euangelica testis est, plane somniarunt, in ipsorum arbitrio & potestate situm esse, ut legi perfectam præstante obedientiam sint iusti coram Deo. Ideo Nicodemo admodum videntur absurdia, quæ Christus ait de resurrectione. Quid inquit nūm senex in vterum matris re

dire potest ut renascatur, quasi dicat, Quid potest ab homine flagitari amplius, quam ut praestet, quantum ei à natura est datum. Adolescens quoq; Matthæi 19. qui gloriatur se ab adolescentia seruasse omnia decalogi præcepta, nimis evidenter ostendit, quam superbe sibi liberum arbitrium arrogat. Nec alio sensu Iudæi, Iosannis 8. cachinnis exceperunt promissionem Christi, de restituenda per veritatem libertate hominis, quam quod imaginarentur se omnis seruitutis expertes, ipso ortu esse liberos. Tantum igitur discriminis est inter Philosophos & Phariseos, quod hi sanctorum Patrum titulos tanquam cristas sibi imponerent, & simul de legis patefactione, circumcisione, & politiæ constitutione gloriarentur: illi vero tantum iudicio naturæ ducerentur: libera vis voluntatis ab utrisq; est patiter adserta.

Statim post Apostolorum tempora male dilutæ Philosophiæ πεθανολογίαι, in Ecclesiam sunt transportatae. Estq; digna obseruatione vox Socratis Eccles: lib: 1. cap: 22. παρεφύκτῳ ἀλιθῇ χριστιανίσμῳ ἐλληνίζωμι χριστιανός. Id est, vero & sincero Christianismo adnatus est Græcis & Philosophorum commentis mixtus Christianismus. Cum enim pauci quidam ex Philosophis, qui totam ætatem in prophanis tritterant literis, ad fidem Christianam conuerterentur euidentia veritatis, constantia martyrum, & miraculorum crebritate conuicti, ac idem priusquam fundamenta Apostolicae religionis solide fecissent, & discrimen Legis & Euangeli, humanæ Philosophiæ & diuinitus patefactæ doctrinæ probe intelligerent, ad scriptiōnem Iesu conferrent freti cog-

nitione literarum secularium, & eloquentia, tantum ab  
fuit ut patrocinio aliquo iuuerint, vt multo magis graui  
damno adfecerint Ecclesiam. Dum enim castella quæ  
dam honestarum legum, & disciplinæ Ecclesiasticæ gen-  
tilium scriptis munire conati sunt, ipsam Christianæ reli-  
gionis ciuitatem prodiderunt. Euangelij promissionem,  
de gratuita peccatorum remissione, & beneficijs media-  
toris Philosophorum commentis prorsus obruerunt: Ius-  
dicum Dei de peccato in lege patefactum, plane obscu-  
rarunt, decalogi præceptis spiritualibus in Ethicas Philos-  
ophorum sententias transformatis. Quapropter omnes  
corruptelas, & pernicioſſimos errores, qui inde vſq; à  
temporibus Apostolorum ad hæc nostra secula, tam in  
gens detrimentum dederunt Ecclesiae, ac necessariam do-  
ctrinam de gratuita imputatione iustitiae per fidem, de re-  
conciliatione peccatoris cum Deo per mediatorem, de  
peccato originis, de eneruatis viribus humanis, de lege  
Dei, de fide in Christum, de bonis operibus, de toto reg-  
no & beneficijs Iesu Christi, tantum non sepelierunt, his  
Græcisantibus ut Socratis voce vtar, & Philosophastris  
Christianis debemus.

Clemens  
Alexan-  
drinus.

Testis nimiris locuples est Clemens Alexandrinus  
Pantheni discipulus Origenis præceptor: qui licet admo-  
dum vicinus fuerit Apostolorum temporibus, vt qui  
Marci Euangelistarum discipulos audiuerit, ac vixerit sub  
Commodo, circa annum salutis 180: hic tamen adeo in  
doctrina Christiana rudis fuit, vt neq; doctrinam de pec-  
cato originis, neq; promissionem Euangelij intellexerit.  
Ideo paſsim de iustitia operum Philosophatur, non secus  
ac si de Platonis Academia, vel Zenonis stoा prodiret.  
Hic igit;

Hic igitur Clemens plenis adeo buccis decantat vires liberi arbitrij, & passim inculcat salutis acceptationem in hominis libera voluntate positam esse. Aliquot eius sententias citabo, cum ut lectori sit integrum, ferre de illis iudicium easque conferre cum Propheticis & Apostolicis dictis, tum ut quilibet intelligat, ex qua schola prodierint adsertores liberi arbitrij, & Synergiae patroni. Lib: 1, Pag: 113.  
sq: inquit: Nisi adpetitus & causae actionum essent in libera potestate animæ, nec laudationes, nec virtutes rationes, nec honores, nec supplicia essent iusta: ac mox addit, Ergo liberari ab ignorantia, & a prava voluptuosa electione, & ante hæc, non adsentiri illis deceptionum phantasias in nostra positum est potestate, lib: 2, pag: 138.  
πρόληψις ἐκδοσίας θεοφειας συγκατάθεσις. Fides inquit, est voluntaria anticipatio, & pietatis adsensio: ac prolixe deinde disputat hanc fidem nihil esse nisi προαιτησις τῆς καλῆς πράξεως. Quis non exhibeat tam ineptum disputationem in Ecclesia Dei?

Rursus secundo lib: Adseniones inquit in nostra Pag: 149  
esse potestate non solum Platonici, sed & stoici conces-  
dunt. Omnis igitur opinio, & iudicium, & anticipatio, &  
doctrina, quibus viuimus & versamur cum genere ho-  
minum adsenso est, hæc vero nihil aliud quam fides fue-  
rit. Et paulo post: adhuc expressius loquitur. ἡ δὲ ἀπόδειγμα Pag: 150  
σατις, καὶ ἐκσατις, οὐδὲ ἀπειθεια ἐφ ἅμην, ὁ τας ιογήν ὑπακοή  
τοφ ἅμηρ, οὐδὲ οὐδὲ τὰ ἐκδοιαζένται. Id est, Defectio, et men-  
tis amotio, et contumacia, sunt in nostra potestate, quemad-  
modum & obedientia est in nostra potestate. Ideo &  
voluntaria subiecta sunt iudicio. Eiusdem est inscrita Pag: 300  
quod scribit lib: 7, scw: ubi contendit fidem esse omnis

um eligentium salutem, & hominem ex sese posse eligere, & accipere salutem. Verba Clementis sunt: τούς εἰς  
λοιπας πείσαι δὲ δόγματα γιαρθράζειαι πόμπην διευθύνειαι σωτηρίαν  
λαβεῖμ, διότου έλεμψην πάντας ἀποπληρώσας τὰ πάρα δινός  
πρός τὸ λαβέμενον τῆς ἐλπίδος δυνάμενος: Id est, Volen-  
tes in suam sententiam inducit Deus: Non enim vim  
infert ei, qui ex sese salutem accipere potest, per electio-  
nem, & per id, quod vniuersa quæ a se sunt ad inchoe-  
andam spem implet. Hic satis pingui ingenio adserit li-  
berum arbitrium: Siquidem contendit hominem ex sese  
propria electione accipere posse salutem. Ideo paulo  
post addit, κοινὴ γὰρ ἡ πίστις πόμπη λομένος. Communis est  
fides eorum qui eligunt eam. Item, Vetus est illa lex, in-  
quit, volentem sibi eligere virtutem: quapropter &  
mandata quæ sunt in lege & ante legem, constituant ut  
is qui eligat vitam aeternam, & beatum honorem, acci-  
piat. Ac rursus: μεταβάλλει πᾶρ τὸ ἐνάγετον ἐις ἄμεινον  
δικαιοσύνη, τῆς μεταβολῆς ἀτίαρ τῷ αἰρεσιμῷ τῆς γνώσεως  
ἔχομ, οὐ διτοπρατορικήρεκτον ἄνυχον. Id est, Quidquid  
præclarum & rectum est, transfert hominem ad melio-  
res habitationes, causam mutationis habens cognitionis  
electionem, quam sui arbitrij & liberæ potestatis possit  
det anima.

Iam vero expendat apud se pius Lector, an hæc tu-  
mida liberi arbitrij præconia, congruant cum Propheti-  
cis & Apostolicis dictis, quæ testantur, lapideum cor in-  
esse homini, & omne figmentum cordis humani esse pro-  
clive ad malum, hominis voluntatem esse hostem Dei,  
qui legi Dei nequeat subiungi, hominem esse venundatum  
sub peccato, teneri captiuum a Satana, esse mortuum in  
delictis. Quæ omnia si expendisset Clemens non tam elas-  
to suo

to supercilio voluntatis liberam potestatem prædicasset:  
nec tam vana confidentia sui Gnosticos suos, quos insti-  
tuere conatur Apostolica doctrinæ & Philosophiaæ in-  
specta mixtura delusisset. Sciat ergo pius Lector cauens  
dum sibi esse ab hoc Clemente, si veram sententiam de  
viribus humanis inquirit serio.

Præceptorem suum secutus est Origenes Adas Origenes.  
mantius, qui circa annum Christi 212, imperante Anto-  
nino Caracalla clarus in Ecclesia fuit. Homo doctus, im-  
mensi laboris, admirandæ diligentia, verum nullius iudi-  
cij, quod ad verum intellectum sacrarum literarum atti-  
net. Ut iam non dicam quam potentiosos errores com-  
miniscatur in libris περὶ ἀρχῆς: ubi singit Diabolis quoq;  
spem salutis esse repositam, & alia non minus absurdâ.  
In enarratione Epistolæ Pauli ad Roma: nimis crasse  
demonstrat Ecclesia, se caput nostræ religionis non in-  
tellexisse. Vix ullam Pauli sententiam absq; insigni &  
perniciosa depravatione exponit. Nobilissima vero testi-  
monia quæ sunt fons omnis consolationis, non sine blas-  
phemia iniuriant: vt cum lib: 2, citat Christi dictum:  
Qui credit in me non iudicabitur; addit ipse, quia secun-  
dum hoc quod credit non iudicabitur quasi incredulus,  
& infidelis: de actibus vero suis sine dubio iudicabitur.  
Hoc sane est uno momento totum delere Euangelion.  
Item lib: 4. Quemadmodum fides reputata est ad iusti-  
tiam, sic & de charitate dici potest, quod charitas reputes-  
tur homini ad iustitiam.

Hinc cum cuius sit manifestum, Origenem  
prorsus

prorsus ignarum fuisse doctrinæ Apostolicæ de gratuita hominis iustificatione, non spero quenquam in hac causam iniquum fore censorem, ut existimet huius Philosophi vocem debere pondus aliquod habere. Excidunt quidem illi aliquando sententia, quæ totam vim liberi arbitrij elidunt, ut lib: 4. in Epist: ad Roma: Vix mihi persuadeo inquit, quod possit ullum opus esse quod ex debito remunerationem Dei depositat, cum etiam hoc ipsum quod agere aliquid possumus, vel cogitare, vel proloqui, ipsius dono & largitione faciamus. In qua vera sententia si constanter persistisset, superbarum vocum vela, quibus vehit paßim laudes liberi arbitrij magis contraxisset.

Verum quæ eius fuerit mens de hoc articulo, ex ipsis locis est petendum, ubi data opera hanc controversiam explicat: lib: 1. ad Rom: inquit. Habet ergo in arbitrio suo anima, si velit eligere vitam Christum, aut in mortem ad Diabolum declinare, ac similitudine ex Prodici figuramento allata singit, in eo ut quis sancte viuat animæ nuntium expectari. Libro vero tertio περὶ ἀξωμάτων, integrum disputationem de libero arbitrio ingreditur, atque testimonia scripturaræ, quæ sura opinioni aduersantur eludere nititur. Quo in loco adeo impudenter sape loquitur, ut non vereatur adserere: Nostræ salutis causam in nobis sitam esse. Verba Origenis sunt: Videamus quomodo Paulus Apostolus velut potestatem liberi arbitrij habentibus nobis loquitur, & tanquam in nobis ipsis vel salutis, vel perditionis causas habentibus ait, &c. Ibidem addit: In nostra potestate est, obseruare posse quæ mandantur. Item, Vnumquodq; igitur vas, ut vel ad honorem à creatore for-

Hom: 1.

Ezech:

lib: 3.

περὶ

ἀξωμάτων

tore formetur vel ad contumeliam, ex seipso causas & occasiones præstitit conditori. Si quis pius vel primis tantum labris dogmata Christianæ pietatis degustauit, quæ necesse est ut has fœtidas & impuras voces fastidiat, quæ adeo contumeliosæ sunt in filium Dei unicum salutis auctoratum. Et miror qua fronte vel conscientia potuerit hæc scribere Origenes, cum verba Pauli Roma: 9. Quæ enarrare nititur, prorsus ex diametro pugnantem sententiam, sine omni obscuritate gignant. Sed maluit nimirum vim facere verbis Apostoli, quam à Philosophica sua opinione, magis congruente cum ratione discedere.

Origenis itaq; de viribus humanis imaginatio fuit, Hominem ex sese intelligere quæ sint iusta, quæ iniusta, & libero voluntatis arbitrio præditum esse, quo quod libitum fuerit, eligere, sequi, & efficere possit. Sic enim loquitur: Quæ extrinsecus incident, in nostra potestate non sunt (puta morbos) obiecta, &c. Bene vero vel male vti his quæ incident, ea ratione quæ intra nos est discernente & dijudicante, quomodo his vti oporteat nostræ est potestatis. Vnde postea addit: Quod crediderunt, ipsorum opus est, qui curati sunt. Ut vero hanc insanissimam sententiam, qua conuersionis nostræ atq; fidei opus in solidum tribuit humanæ voluntati, mitigaret, ne Deo prorsus excluso ab effectione nostræ salutis, & superbia & ingratitudo nimirum sint conspicua, id quod antea libero tribuit arbitrio partitur quodammodo, & Deum in societatem honoris adsumit. Ut (inquit) neq; quæ in nostro sunt arbitrio, putemus sine adiutorio Dei effici posse: neq; ea quæ in manu Dei sunt, putemus absq; nostris actibus & studijs, & proposito consummari. Quam

vero hæc pugnant cum testimonij scripturæ sacrae : quibus totum Deo adsignatur, supra est ostensum.

Nec mihi dubium est, extitisse tempore Clementis & Origenis, pios & cordatos pastores, qui voce & scriptis hunc Philosophicum errorem confutarint, quorum testimonia extare in Ecclesia valde optandum esset. Indicat autem ipse Origenes, quibus argumentis sibi sit obscuratum, videlicet, Auferam cor lapideum. Item, Non est volentis, neq; currentis. Item, Deus est qui efficit ut velitis, &c. Hæc inquit, dicunt hi qui volunt ex autoritate scripturæ diuinæ differere, nihil esse positum in nostra potestate. Quæ verba non de Valentinianis & Marcionitis sunt accipienda, qui diuersas naturas introducebant: hi enim veteris Testamenti testimonij non vtebantur. Sed potius de Orthodoxis pastoribus, qui Philosophicis fragmentis Prophetarum & Apostolorum autoritatem opposuerunt.

Quia vero & Clemens & Origenes propter multiplicem eruditionem, & insignem eloquentiam erant in admiratione, & ex ipsorum scholis multi docti & eloquentes viri prodibant, qui simul imbibito hoc veneno Philosophico, deinde ob dicendi facultatem ad Ecclesias gubernacula sunt adhibiti, vix ullus scriptor Ecclesiasticus præsertim inter Græcos reperitur, qui non id senserit de libero arbitrio, quod Platonis potius Academiam, quam Christi redoleret Ecclesiam. Quidquid igitur minus congrue de hoc articulo dictum est, ab Athanasio, Eusebio, Basilio, Nazianzeno, Epiphonio, Chrysostomo, Hieronymo, & alijs quorum sententias supra vidiz

vidimus, id totum acceptum ferendum est his duobus  
magistris Clementi & Origeni : atq; idcirco apud recte  
iudicantes minus ponderis in controversiæ dijicatione  
habere debet.

**PELAGIVS BRITO** Monachus sub  
Theodosio Iuniore, circa annum Christi 400, totis im-  
pudentiæ velis pansiis adseruit voluntatis, & arbitrij hu-  
mani libertatem. Nemo dubitet sumplisse eum mate-  
riam & occasionem, cum ex Philosophia, tum ex Orige-  
nicis & similibus scriptis. Male enim diluta Philosophia  
iam tum in admiratione erat in Ecclesia, ita vt doctrina  
Euangelij, non sine omni Christiana Philosophia nun-  
cuparetur. Verum hic Pelagius adstipulatoribus Iulia-  
no & Celestio, eo impudentiæ & vesaniæ est abreptus,  
vt omne Dei auxilium & gratiam spiritus repudiaret,  
sanctorum preces pro fidelibus & infidelibus, putaret su-  
peruacaneas, & voluntatem hominis non solum libe-  
ram, sed & dominam atq; reginam constitueret omnium  
actionum atq; salutis. Vtq; hic conspi ciatur quantum  
errorum telam secum trahat liberi arbitrij assertio, Pelagii  
errores quemadmodum à Hieronymo, Augustino &  
Prospero recensentur, hic subnotabimus.

**E R R O R E S P E-**  
**lagij.**

I. Mortem corporis non prouenire ex lapsu August: de  
& merito Adæ, sed ex conditione naturæ. peccato  
originali

V 2

Peccat:  
contra  
Pelag;

*August: II.* Peccatum Adæ nemini nisi ipsi nocuisse. Et peccatum ad alios homines non propagatione carnali, sed toru meri imitatione transiisse.  
*tis lib: I.*

*August: III.* Naturam sine vicio esse: Et infantes non habere peccatum originis, aut ullam culpam, sed insontes esse, de natura atq; in eo statu in quo Adam fuit conditus. Baptismus tamen, non ut à peccato aliquo liberarentur, sed ut sacramenta adoptionis honorarentur.  
*et gratia*

*August: IIII.* Arbitrium hominis eius esse libertatis, ut homo de peccato possit, etiam absq; gratia proprio merito salutem adipisci. Cum vero hæc nimis manifesta blasphemia ab omnibus pastoribus damnaretur, linguam non mentem mutauit, adserendo: Gratia adsistente facilius quidem peruerteri ad salutem, absq; ea tamen salutem obtineri à nobis posse licet difficultius. Verum cum & hæc infanía in consilij exploderetur, vocabulum gratiæ per simulationem adsumpsit, rem ipsam exclusit in veteri blasphemia persistens. Gratiam enim non intellexit gratuitam peccatorum remissionem, & donum Spiritus sancti, fidem efficiantis & nostram voluntatem trahentis: sed gratiam appellat, beneficium creationis, donationem liberi arbitrij, possibilitatem sponte obediendi Deo, legis promulgationem, & doctrinæ communicationem. Atq; his præstigijs ex iudicio Palestino, cuius mentionem facit August: lib: de gratia Christi contra Pelagium est elapsus. Damnavit enim eos qui adsererent hominem absq; gratia posse salvare, vel ullum præstare actum.

*Gra*

V. Gratiam Dei & salutem eternam, non aliter quam secundum merita dari.

VI. Hominem posse esse sine peccato, perfecte ius Hierony: stum & omni uirtute absolutum, ac omnia Dei manda= contra ta, non solum possibilia, sed & facilia esse homini volen= Pelagi: ti ea præstare, Dialo : 1.

Hæc tetra errorum portenta, quæ vna litura vnis August: uersam doctrinam Prophetarum & Apostolorum de= contra lent, neq; quidquam ex ea præter Ethica Philosophorum duas Epis precepta relinquunt, adseruit Pelagius Monachus præ= stolas Pe cipius liberî arbitrij patronus: Adstipulatores autem has lag: ad buit Celestium, & Iulianum Capuanum Episcopum vt Bonif: Gennadius refert. Cum autem hoc blasphemico errore vehementer turbaretur Ecclesia Romana, ac vehementis diffensio in alijs quoq; Ecclesijs hinc oriretur, contulit se Pelagius in Palestinam, vt suæ opinionis adstipulatores quæreret. Haud dubie cogitauit se in Oriente multos res perturbum discipulos Origenis, & Chrysostomi, qui vires liberî arbitrij immodice prædicarunt, & Pelagio & alijs erroris materiam nimis amplam suppeditarunt. Verum Epistola cum nimis impudenter sua commenta proponeret, & August: palam adsereret hominem absq; gratia Dei virtute lib: arbit: posse sine peccato esse, & mandata Dei ab homine facile præstari, Hieronymus qui Hierosolymis tunc fuit, & in Pelagium incidit, has blasphemias refutauit.

Celestius Pelagi discipulus, dum in Africa semina huius erroris spargit, Carthagine conuenit Synodus, quæ & dogma de libero arbitrio damnauit, & Celestium ex-

*Retract. 2. communicatione exclusit ab Ecclesia, cui Synodo licet  
cap: 33. non interfuerit Augustinus, ut ipse est testis: inuit tamen  
Episcopos doctrina & institutione. Nam quæstiones Pe-  
lagianorum ad Augustinum sunt missæ. Pelagius inter-  
rea in Palestina oberrat, suffragatores conquirens, verum  
p̄ij & docti viri datis libellis ad Episcopos accusant ho-  
minem de sacrilego dogmate. Itaq̄ Synodus 14. Episco-  
porum in Palestina (ni fallor, Diopolis, vel Liddé, sic enim  
ex quadam Hieronymi Epistola colligo) cogitur. Vbi  
de suis dogmatis auditus Pelagius, sententias quas hacce-  
nus sparserat, in iudicio damnare coactus est. Augustinus  
librum scripsit de gestis huius Synodi, verum is non ex-  
tat. Fragmentum aliquod reperitur in lib: August: de  
peccato originali contra Pelag: Vbi narratur, Pelagium  
reuocasse & condemnasse hæc dogmata: Hominem absq̄  
Dei gratia posse esse *αναμορφωτόν*. Adam mortalem fa-  
ctum, qui siue peccaret, siue non peccaret, moriturus fuis-  
set. Quod Adæ peccatum ipsum solum læserit, & non to-  
tum genus humanum. Quod infantes nuper nati in eo  
sint statu, in quo fuit Adam ante prævaricationem. Quod  
lex tam iuuet ad obtinendum regnum Dei, quam Euau-  
gelion. Hos & similes errores tum damnauit Pelagius in  
iudicio: verum quod res ipsa testata est, Augustinus non  
immerito conquestrus est præstigiatorem Pelagium, sua  
versutia imposuisse Palestinis Episcopis. Vocabulum  
enim gratiæ adsumpsit, sed scelerate deprauauit, interpræ-  
tans de beneficio creationis, vel reuelatione legis.*

Cum ergo fraudulenter erroris sui abiectionem &  
damnationem simulasset, atq̄ hoc dolo ē iudicio elapsus  
esset, maius incendium securum est in Ecclesia; vt solet  
fieri,

fieri, quando corruptelarum qualescumq; incrustationes,  
aut palliationes seu excusationes admittuntur, & clemen-  
tia intempestiva doctrinæ coelestis depravatoribus, cum  
atrori detimento Ecclesiæ parcitur. Pelagius enim glo-  
riabatur se iudicio Synodi Palestinæ absolutum esse, ac  
maiore audacia sua commenta tuebatur, & late diffun-  
debat. Rursus igitur consilio & instinctu Augustini,  
cuius tunc præcipua erat authoritas in Ecclesia, Synodi  
conuocantur Carthagine, & in oppido Numidiæ Mileo,  
circa annum Christi 406. Vtrq; Synodus & Carthagi-  
nensis & Mileuitana damnat, Pelagi & Celestij dogma-  
ta. Et literis datis ad Innocentium Romanum Episco-  
pum, petunt Synodi, vt is suo calculo comprobet decreta  
Africana; Et quia Pelagi Romæ diu vixerat, citet eum  
ad dicendam causam, ac nisi expresse damnauerit sua  
dogmata, anathematis fulmine eum feriat. Innocentius  
Africana decreta rata habet, & Pelagium ac Celestium  
eius discipulum excommunicat: Quia graui sententia  
passim in Ecclesijs promulgata repressæ sunt, quodam-  
modo flammarum erroris, palam depascentes piorum cœ-  
tum, non tam ignis prorsus est extictus. Origenicam  
enim mixturam, quæ doctrinam Euangelij & Philosof-  
phiā prorsus confudit, & haud dubie ansam dedit Pelas-  
gianæ hæresi, adeo imberant Episcopi, vt difficile füe-  
tit, a receptis & rationi ad blandientibus opinionibus  
animos ipsorum abducere, & ad Prophetica & Aposto-  
lica oracula, quæ salutem nostram soli gratiæ Dei tri-  
buunt reuocare. Itaq; non tantum eruditissimis scriptis  
restitit Pelagio Augustinus, nec tantum conciliorum  
graues censuræ, Et Romani Pontificis authoritas eum  
represserunt: verum etiam Imperatorum ciuilia ediz-  
cta ad

cta ad extirpandum blasphemum errorem sunt propo-  
sita.

Anno Christi 420, sub Theodosio & Honorio,  
quo anno obiit Hieronymus strydo: Carthaginē con-  
uenit Synodus 217. Episcoporum, inter quos præcipuꝝ  
authoritatis fuit Augustinus, egressus iam sexagesimum  
quintum ætatis annum. In hac Synodo Pelagi & Cele-  
stij noua dogmata graui censura sunt condemnata, qua  
decreta cum à Romano Pontifice Zosino essent adpro-  
bata, per totum Romanum Imperium hæresis Pelagiana  
damnata est. Defecerat tum à Romano Imperio Bri-  
tannia, quare ut tutius ibi hospicium haberet, & quia pa-  
tria eius esset, eo confugit Pelagius, atq; illam insulam suo  
errore infecit. Verum & hic repressa est blasphemia, dili-  
genti cura Celestij Roma: Episcopi. Sic enim Prosper  
refert. Nec vero segniore cura ab hoc eodem morbo Bri-  
tannias liberauit Pontifex Celestius, quando quosdam  
inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes, etiam ab  
illo secreto exclusit Oceani & ordinato Scottis Episcopo,  
dum Romanam insulam studet seruare Catholicar., fe-  
cit etiam barbarem Christianam. In Chronico vero re-  
fert. Germanum quendam Antisiodorensem Episcopum  
à Celestio missum, qui deturbatis Pelagianis Britannos  
ad Catholicam fidem direxerit, anno Christi 432.

In Synodo deinde Ephesina, qua anno Christi  
435, aduersus Nestorium est congregata, in qua ducen-  
ti decem Episcopi conuenerunt, repetita est damnatio  
Pelagianæ hæreseos, ac quia Celestiani adiutabant Ne-  
storij & Ioannis Antiocheni factionem, nominatim Pe-  
lagius, Celestius, Julianus, Persidius, Florus & alij erroris  
socij

socii sunt damnati, ut Epistola Cyrilli & totius Synodi Ephesinæ scripta ad Celestinium Romanum Archiepiscopum testantur. Anno Christi 443, Julianus Atheneensis iactantissimus Pelagiæ dogmatis adsertor, ut inquit Prosper, Capuanus Episcopus, multa molitus est ut restitueretur. Verum Sixtus Roma: Pontifex hortatus Leonis Diaconi, omnem ei spem ademit, quod exemplum recte sentientes confirmauit: errori vero addictos plurimum absterruit.

His Synodorum iudiciis, & severitate Episcoporum cum Pelagiana heresis oppressa, & ex finibus Imperii exterminata esset, nouæ corruptelæ sunt exortæ, quemadmodum Prosper in carmine de ingrat: conquiritur.

Iamque procellosæ disiecto turbine noctis:  
Heu noua bella, noui partus oriuntur in ipso,  
Securæ matris gremio.

Multi enim crassos illos errores Pelagiæ damnabant: Videlicet, peccatum Adæ sibi tantum & non generi humano nocuisse. Item, Adam esse mortalem factum siue peccasset, siue non peccasset. Item, Infantes prorsus insontes & integra natura nasci, hominem posse absque peccato esse: liberum vero arbitrium nihilominus adserebant, videlicet, mansisse in homine etiam post lapsum lumen rationis illæsum, & libertatem nulla necessitate astrictam. Itaque in hominis arbitrio & potestate esse sicutum saluari si velit, vel spreta salute perire.

Hæc Semipelagianorum corruptela tanto nunc  
 diligens

diligentius est obseruanda, eo quod Synergiae adserentes, qui nunc turbant nostras Ecclesias intempestiu liberis arbitrij patrocinio, prorsus idem commentum res nouant: Nam ut Prosper testatur in carmine, hi Semipelagiani, tres concurrentes causas conuersionis ponebant. Gratiam vocantem, verbum & mentem ac voluntatem sua libertate vtentem, quemadmodum ex verbis quos supra citauimus patet.

Eadem plane sententia est, eorum qui hoc tempore Synergiam humanæ voluntatis, & tres concurrentes causas in conuersione hominis statuunt ac fingunt hominem libertate sua, proprioc̄ vigore venire, ad gratiam oblatam: Et liberum arbitrium hominis non esse ociosum, sed plane aliquid agere in conuersione. Facilius itaque de præsenti controuersia iudicium fiet istis corruptelis Semipelagianorum accurate obseruatis.

**Cassianus.** Nouæ autem huius corruptelæ princeps, & nō uorum colorum, quibus siccata est Semipelagiana heres inuentor fuit Cassianus Monachus, natione Schytha, Constantinopoli institutus & ad munus Diaconi cooptatus a Iohanne Chrysostomo: deinde Massiliz factus presbyter: homo doctus, disertus, & austerae viæ. Imbibit haud dubie hæc venena in Chrysostomi schola: Is enim passim nimius est liberi arbitrij laudator; & salutis acceptæ causam potius voluntatis electio ni, quam gratiaræ donationi adsignat.

Cum autem huic controuersiæ à Pelagio motæ varijs collationibus cum aduersarijs, & eruditis scriptis Augustini,

Augustini, & multarum Synodorum grauissimis censuris,  
plurimum lucis accessisset, adeo ut indubitata sententia  
ex Propheticis hausta fontibus cuilibet nota esset, quasi  
tortuosus coluber per gyros & sinuosos flexus incedit  
Cassianus, ut pro tritæ factiōni Pelagi occultas ferat sup-  
petias. Prima fronte Orthodoxam sententiam pro-  
fert, quod plerisq; hæreticis familiare est, ac fatetur ut tes-  
tis est Prosper: Non solum actuum, sed & cogitatio-  
num bonarum principiū ex Deo esse: qui nobis &  
initia sanctæ voluntatis insipret.

Verum mox desciscit ab hac sana & Catholica  
sententia: ac singit, à Deo nostrum conatum excitari,  
cum is ortum quendam bonæ voluntatis, in nobis con-  
spexerit. Atq; ita contendit esse eam in homine possi-  
bilitatem, ut per naturæ bonum, principia bonarum vo-  
luntatum prodire queant, & boni quidam conatus, ex li-  
bero surgere arbitrio, atq; gratiam præuenire. Ne vero  
hic constringi posset lubricus anguis, & de Pelagiana  
hæresi conuinci, mira versutia, duas diuersissimas & inter-  
sele ex diametro pugnantes sententias Augustini & Pe-  
lagij consuit, & ex hac conciliatione, vel potius mixtura  
contrariorum Chimæram quandam gignit.

Cum enim his verbis statum posuisset: Vtrum  
quia initium bonæ voluntatis præbuerimus: misereatur  
nostrī Dominus: an quia Deus misereatur, consequā-  
tur bonæ voluntatis initium: cum alterutrum veri-  
tati contrarium esse necesse sit, hic tam ingeniosus  
sutor, vtrumq; recipit, atq; coniungit. Eoq; tan-  
dem delabitur, ut insulsa partitione adserat: alios

quidem nolentes & inuitos ad salutem trahi, vt Paulum  
& Matthæum: quorundam vero volentium ac sitientia-  
um cursum ad maiorem incitari flagrantiam, vt Zachei,  
& Latronis. Atq[ue] ita Christum alijs esse salvatorem, alijs  
susceptorem. Ita cum Cassianus mitigare & politius pro-  
ponere errorem Pelagi conatus sit: multo foedius hallu-  
cinatus est quam ipse Pelagius. Is enim ita adserebat lis-  
berum arbitrium, vt contenderet neminem, nisi qui spon-  
te sua curreret, & libera electione gratia se faceret capa-  
cem, ad vitam æternam peruenire,

Hic vero bonus conciliator, non solum adfirmat,  
Adam retinuisse post præuaricationem scientiam boni,  
& singulis inesse virtutum semina, ex quibus motus vo-  
luntatis boni vigore arbitrij pullulare possint, atq[ue] ita  
præueniri à quibusdam ipsam gratiam sancto desiderio:  
verum etiam contrariam largitur sententiam, licet hæc  
possibilitas & liberi arbitrij integritas sit residua in hoc  
mine: tamen tantam esse in Deo clementiam, vt nihil  
minus inuitos quosdam, & plane renitentes attrahat, atq[ue]  
compellat ad salutem.

Solent omnino hoc modo succedere in Ecclesia iste  
veterioræ artes præstigiatorum, qui in certaminibus de  
dogmatibus miras excogitant fraudes: & iudicio Eccles-  
iæ damnatos errores voce condemnant, vt inuidiam ma-  
nifestam declinent, & incautis auribus specie fidelitatis  
irrepan: nec tamen sanæ sententiæ sese adiungunt inge-  
nue, sed vel nouos errorum fucos, vel perplexas conci-  
llationes, vel insidiosas mitigationes adferunt, vt radicem  
erroris tueantur, ex qua aliquando totum germen possit  
restituī

restitui. Plerumq; enim absurdiora monstrā opinionum  
gignunt: quod & Cassiano vñi venit. Omnia enim  
absurdissimum est, tribuere homini liberum arbitrium:  
Et simul adserere, quod gratia etiam inuitos ad salutem  
compellat. Qui igitur hoc tempore Synergiaꝝ præstant  
patrocinium: & libero arbitrio non omnem vim demp-  
tam volunt, hunc suum studiose obseruent ineptum ma-  
gistrum.

A stipulatores suæ sententiaꝝ Gallos habuit Cassia-  
nus, qui cum aperte non auderent oblatrare veritati, clau-  
destinis obrectationibus scripta Augustini deformare  
conati sunt: & virus suum occulte fouerunt. Verum  
Pontifex Roma: Celestinus admonitus, & adiutus ope-  
ra Prosperi Aquitanici ad Gallos scripsit, & authorita-  
tem librorum Augustini defendit, & obloquentium ve-  
ritati calumnias compescuit. Etsi autem & Prosperi eru-  
dita scripta, quibus confutauit præstigias Cassiani, &  
Romanorum Pontificum authoritas, multos in viam re-  
duxit, quosdam etiam oblatrantes repressit: tamen radi-  
ces erroris Pelagiani hæserunt in Gallia, nec potuerunt  
euelli.

Inter alios enim, qui liberi arbitrii vires nimium ex- Faustus.  
tulerunt, extitit & Faustus Galliaꝝ Episcopus: qui sub  
Iustino Imperatore circa annum Christi 520. vixit. Pe-  
lagianus haberet noluit. Itaq; in vestibulo sui libri de gra-  
tia & libero arbitrio, Pelagiꝝ errores confutat, & ostendit  
grauem esse blasphemiam, Adserere, quod homo  
propriō arbitrio absq; gratia auxilio salutem sibi impe-  
trare possit: Simul vero & illos damnat atrociter, qui to-  
cum salutis nostræ opus soli adsignant Gratiaꝝ. Medium

autem cursum se tenere gloriatur, utrinqꝫ vitatis errorum  
scopulis, tam Pelagianismi, quam Manicheismi. Sed reue-  
ra in syrtes Pelagi totus abripitur. Coniungi vult gratis  
am Dei & liberam humanæ voluntatis electionem ac  
laborem in effectione nostræ salutis.

Ac licet verbis testetur, se laborem humanum non  
coæquare gratiæ: sed sine omni comparatione gratiam  
præponere: tamen eo delabitur studio adserendi libe-  
rum arbitriū, ut non obscure adseueret totam hominis  
salutem in hominīs potestate esse sitam, gratiamqꝫ vni-  
cuiqꝫ secundum merita dari. Fingit enim salutis perce-  
ptionem, quasi fontem quendam in medium huius mundi  
expositum, & omnibus ex æquo ad hauriendum concessum  
esse: gratiamqꝫ singulis & vniuersis pari conditio-  
ne offerri, homini vero indita esse semina bonæ voluntas-  
tis, ut sponte, & proprio arbitrio intelligere, expetere, co-  
nari, velle & amplecti salutem ex se se possit. Atqꝫ ita  
non solum articulum de peccato originis periculo ob-  
scurat, verum & doctrinam de electione prorsus delet:  
totamqꝫ consolationem de gratuita hominīs iustificatio-  
ne, penitus eneruat, & in Philosophiam transformat.

Ac vt intelligat Lector prudens, quam fuerit ins-  
sulus, & impudens Synergiaæ patronus hic infelix Fau-  
stus diligenter expendat, quam scelerate enarretur ab ip-  
so nobilissima promissio: Miserebor, cui misertus fueris,  
quam blasphemam interpretationem, qua totum delect-  
Euangelion in exordio huius libri recensui. Expendan-  
tur & similia eius stolida & impia dicta, quale est, Domi-  
nus, inquit, inuitat volentem, attrahit desiderantem, erigit  
ad nos

admitentem. Imo vero & voluntas, & desiderium, & nis-  
sis à Domino instillatur animæ. Falsum & illud est,  
quod inquit: Quid autem est attrahere, nisi prædicare,  
nisi scripturarum consolationibus excitare, increpationi-  
bus deterrire, desideranda proponere, intentare metuen-  
da, iudicium comminari, præmium polliceri. Trahi enim à  
patre non est tantum foris vocari, verum etiam intrinse-  
cus vocatione sancta, per Spiritum sanctum, qui ubi vult  
spirat illuminari & conuerti ad Deum, & facultate cres-  
dendi donari. Explodendus est igitur hic nugator.

Confutauit autem hunc arrogantem Synergistam;  
Ioannes Maxentius, satis eruditus & neruoso scripto, in  
quo ad Epistolam sub nomine Hormisdæ fictam, & à Ne-  
forianis sparsam respondet: Ac pie sequitur Augustini  
& Prospcri, tum vero in primis sacrae scripturæ testimoni-  
nia.

Bernhardus Clareuallensis, qui circa annum salutis Bernhardus  
1130, clarus in Ecclesia fuit, haud dubie melius  
sensit, quam locutus est. Non enim dubitat totum  
conuerzionis nostræ opus aliquando soli tribuere gra-  
tiae: quemadmodum libri eius de lib: arbit: initium te-  
statur. Loquente me coram aliquando, & Dei in me gra-  
tiam commendante, quod scilicet ab ipsa me in bono &  
præuentu agnoscerem, & prouehi sentirem, & sperarem  
perficiendum, quid tu ergo: ait unus ex circumstantibus,  
facit Deus: Quid enim inquam tu consulis: Da, inquit,  
gloriam Deo, qui gratis te præuenit, excitauit, initiauit, &  
viue digne de cœtero. Et paulo post: Cum testimonij  
scripturæ probasset, solius Dei donū esse, quod saluamur,  
addit:

addit : Quid igitur agit, liberum arbitrium : salutatur. Tolle liberum arbitrium, non est quod saluetur. Tolle gratiam non est unde saluetur. Item, Deo subiectis nos eius gratia, non nostra voluntas : Haec sunt rectissime ab ipso dicta, ac satis indicant, Bernhardum non posuisse fiduciam suam in liberi arbitrij propria potestate, sed uniuersam salutem sperasse a solius Dei gratuita clementia.

Vbi vero disputationem ingreditur, seculi sui receptis opinionibus, quasi rapido torrente in Philosophiae gurgitem inuitus abripitur, ex quo licet disputando ne quiuerit emergere, suffultus tamen syncera in Christum spe fœliciter enatauit. Triplicem ponit libertatem, video licet, a necessitate, a peccato, a miseria : Primam creationi, alteram gratiae, tertiam resuscitationi adscribit. Ingenti fatetur nos post Adæ lapsum carere libertate a peccato, & a miseria, hoc satis fuisset in hac controuersia: sed dum conatur tueri libertatem a necessitate mire fese invuluit. Et subinde quasi in scopulum impingit dum necessitatem opponit voluntati: dum vero adserit, libertatem a necessitate, non solum in homine, sed & in Diabolis tam esse integrum atque in Deo, tantum non naufragium fidei patitur.

Errat quoque quum fingit, medium quoddam inter velle bonum & velle malum. Voluntas enim nulla est nisi quae aliquid vult. Ea vero aut congruit ordinis diuinatio, aut discrepat, atque ita vel iusta est, vel iniusta. Quod vero ad necessitatem attinet, non ea semper contraria est voluntati, differt enim violenta coactio a necessitate immutabili. Diabolus iam non potest nolle peccatum; ergo &

go & necessario, & voluntarie tamen diligit peccatum.  
Deus & necessario est iustus, & tamen voluntate liber-  
tima. Non ergo voluntati omnis necessitas est contraria.  
Itaq; homo carens libertate à peccato, eaq; ita exutus, vt  
cum datum fuerit voluntati, posse stare ne caderet: post  
lapsum tamen non habeat liberum posse resurgere eas-  
dem voluntate, vere caret & libertate à necessitate, licet  
maneat substantia voluntatis, tota ad malum proclivis.  
Necessario enim & immutabiliter manet in peccatis, &  
caret iustitia, nisi liberetur per eum qui se sponte seruitu-  
ti legis adstrinxit, vt nos in latissimos campos libertatis  
educeret.

Posset quidem aliquomodo excusari Bernhardus,  
quod non tam voluntatis aliquam libertatem, quam ipsam substantiam eius adserere conatus fuerit. Nam cum dicit liberum arbitrium, licet sit miserum, tamen est integrum etiam in Diabolis: nihil nisi de substantia voluntatis loquitur, licet satis perplexe. Verum quia eo tandem delabitur, ut adserat, contra prius a se positam sententiam, velle Pauli Roma: 7. ex natura & libero arbitrio, & ad perficiendum opus ei fuisse gratia, annuerimus eum Synergia ad assertoribus,

Petrus Longobardus Parisiensis Episcopus, qui Petrus  
vixit circa annum 1200. Bernhardum potissimum est Longobar-  
secutus. Delectatur multum distinctione de triplici liber- du.  
tate. Et adserit voluntatem à necessitate esse liberam. Co-  
natur & Augustini sententijs locum tribuere. Probat di-  
stinctionem de Gratia operante sine nobis, & cooperan-  
te nobiscum. Fatetur voluntatem ante gratiam liberam  
esse

esse ad malum : per gratiam vero liberam esse ad bonum: ac diserte inquit, Liberum arbitrium non posse velle & perficere bonum, nisi per gratiam liberetur. Citat & dictum ex scriptore vetusto. Quod fides sit purum Dei donum. Verum ut est passim sui similis , Contrarias sententias multas cumulat, s̄epe inuoluit sese labyrinthis: raro vero cui sententiae acquiescat , constanter exponit. Nam vbi antea dixit solius Dei donum esse credere, & liberum arbitrium captiuatum esse, & gratia semper preueniri bonam voluntatem : mox tamen horum omnium oblitus, adserit bonum animi adfectum partim ex gratia Dei, partim ex libero nasci arbitrio : Et causam nostrae salutis principaliter gratiae, sed aliqua tamen ex parte homini adsignat. Hunc igitur Academicum adeo fluctuantem in sua religione, nō obscure tamen ad Philosophica encomia liberi arbitrij inclinantem, ad sodalicium Synergistarum ablegamus: Licet multo sit tollerabilior iuuarum rapsodiarum insulsi expositoriis.

Non arbitror Lectorem studiosum expetitum, vt curiose magis, quam diligenter hic annotem eorum scriptorum, qui Petrum Longobardum secuti sunt, de libero arbitrio sententias : Cum enim ætas illa magis magisq; in errorum præcipitia sit abrepta, & doctrinam filij Dei adeo miscuerit & deprauarit Philosophorum commentis & humanis traditionibus, vt neq; legis diuinæ verum intellectum, neq; Euangelicæ promissionis noticiam retinuerit, nihil est, quod illorum scriptorum censuras magni faciamus. Ac quia plerisq; religio fuit, vel latum vnguem à præscriptis Longobardi discede;

re: si

re: si qui vero suo ingenio indulserunt crassiora, & magis absurdia protulerunt, quam ipse sententiarum Magister: arbitror me operam lusurum, si Thomæ Aquinatis, Joannis Scoti, Bonaventura, Hugonis, Nicolai Lyrae & similium scriptorum sententias de libero arbitrio colligerem.

Si quis tamen ex vngue leonem nosse cupit, ex. 2. *Senten:*  
pendat Thomæ Aquinatis absurdam vocem. Scribit *distrin: 28.*  
enim: Et ideo alijs consentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio homo se potest præparare: Faciendo enim quod in se est, gratiam Dei consequitur: hoc autem solum in nobis est, quod in potestate liberi arbitrij est constitutum.

Et quod absurdius & magis blasphemum est, palam docuerunt isti Sophistæ, eas esse hominis vires in hoc naturæ statu, ut is posset ex puris naturalibus, omnia diuina mandata implere: ac Deum ex toto corde & tota anima iuxta eius præceptum diligere, quo ad substantiam operum. Item quod sine habitu infuso possimus adsentiri omnibus articulis fidei. Item quod sine habitu charitatis possimus diligere Deum super omnia.

His blasphemis erroribus plane sepulta fuit doctrina legis diuinæ, & spirituale Dei iudicium de peccato, & Prophetarū testimonia de peccato originis, et tota concio Euangelij de gratuita hominis liberatione per Mediatorem. Ideoq; mirum non est tam tetra errorum portenta, de iustitia operum, de satisfactionibus nostris pro peccato, de meritis sanctorum, de fide formata, &c. & per hos Sophistas in Ecclesiam esse inuecta. Illud vero plane

stupendum est, quod tanta est impudentia & insania in Romani Antichristi adulatoribus, ut non vereantur hac illustri ætate, qua admirabili Dei bonitate illæ densæ errorum tenebræ discussæ sunt, & Euangelij splendor per totum orbem est diffusus: illa crassa deliria, & tetras blasphemias propugnare.

Nam Richardus Tapper eo vesaniae delabitur, ut adserat, adeo non esse super naturam diligere Deum, ut etiam credere, sperare, diligere Deum, confiteri Christum posse homo per sua naturalia, quantum ad substantiam operum: Qua voce nihil potest hac in re furiosius dici: Licet idem scriptor sibi multoties contradicat.

**Tridentina Synodus.** Aliquanto minus insaniuit blasphema Synodus Tridentina, quæ fatetur quidem motione & tractione Spíritus sancti opus esse in conuersione: sed tamen contendit liberum arbitrium ad gratiam se se disponere & præparare posse: Sic enim habet Canon 4. sels: quinta. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo mortuum & excitatum, nihil cooperari adsentiendo Deo existanti, atq; vocanti, quo ad obtainendam iustificationis gloriam, se disponat & præparet: neq; posse dissentire si velet, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, me reg; passiu se habere anathema sit. Item 5. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum deniq; à Satana in Ecclesiam iniectum, anathema sit. Has sacrilegas & blasphemias Tridentinæ Synodi censuras, vtpote verbo Dei aduersarias explodere & repudiare necesse est. Vere enim amissum

sum mortuum & extinctum est liberum hominis arbitriū, per peccatum Adæ in rebus ad salutem pertinentibus, vt supra est demonstratum. Tridentinæ Synodi sententiam posui, vt inde colligeret Lector quid vniuersa cohors Romani Antichristi, de facultate liberi arbitrij sentiat.

Nunc ergo de ijs quoq; dicendum est, qui cum alieni esse velint ab erroribus & idolis Romanæ Synagogæ, tamen plus tribuunt viribus hominum in rebus spirituallibus, quam sacra scriptura concedit, & Synergiam quandam esse contendunt Spiritus sancti, & humanæ voluntatis in conuersione ad Deum. Horum Synergistarum princeps fuit hoc nostro seculo Erasmus : qui in sua Dia-  
tribe hanc conatur adserere sententiam : quod nostra voluntas operetur, cum operante gratia, & sese adplicet ad gratiam, dum naturæ vires ad operantem gratiam accommodat. Ac contendit liberum arbitrium, viciatum, vulneratum ac claudicans : non extinctum. Manet igitur inquit, aliquid iudicium : sed imperfectum, manet vis aliqua sed inefficax. Definitionem liberi arbitrij, quam constituit supra explosimus, videlicet, esse vim humanæ voluntatis, qua se possit homo adplicare ad ea quæ perducunt ad æternam salutem & ab ipsis auertere. Fuit igitur Erasmi sententia : Naturæ vires non esse prorsus ociosas, cum à gratia monemur : neq; voluntatem nostram tantum esse subiectum patiens in conuersione, sed aliquid agere : Veluti cum oriente sole, oculos aperimus, hæc enim comparatio placet illi in Hyperaspiste.

Non dissidet à sententia Erasmi, quod Philippus scribit

scribit in postremis locis communibus, in loco de viribus  
humanis. Adprobat enim definitionem liberis arbitrij, que  
dicit esse facultatem sese adPLICandi ad gratiam. Et ubi de  
actionibus spiritualibus, & de primo conuersione motu  
loquitur, haec verba ponit: Agit igitur aliquid liberum  
arbitrium: Loqui eum non de actionibus renatorum,  
sed de conuersione peccatoris, docet exemplum Dauidis,  
quod allegat. Nec fit inquit, conuersio in Dauide, vt  
si lapis in ficum verteretur: sed agit aliquid liberum ar-  
bitrium in Dauide, cum audiuisset obiurgationem & pro-  
missionem, volens iam & libere fatetur delictum: Et  
agit aliquid liberum arbitrium, cum se sustentat hac vo-  
ce: Dominus abstulit peccatum tuum. Eodem loco di-  
fertius adhuc explicat quid sentiat. Nam dum conuer-  
sionis modum, quem à verbo ordinatur, describit, tres po-  
nit concurrentes causas, & quasi *ruvaitix n̄ σύνεγγυα*; verba  
Philippi sunt. Cumq; ordimur à verbo, hic concurrunt  
tres causæ bonæ actionis, verbum Dei, Spiritus sanctus,  
& humana voluntas adsentiens, nec repugnans verbo  
Dei. Item cum adiuuante Spiritu sancto, conatur adsen-  
tiri, in hoc certamine non est ociosa. In examine ordinant:  
Concurrunt igitur in conuersione hæ causæ: Verbum  
Dei, Spiritus sanctus, quem pater & filius mittunt: ut ac-  
cedat nostra corda: Et nostra voluntas adsentiens, &  
non repugnans verbo Dei.

Hæc sententia dissidet à testimonij Prophetarum  
& Apostolorum. Ideoq; fateor eam mihi disPLICERE. Eo  
enim tendit, vt emortuæ carni tribuat quandam spiritua-  
lem actionem. Si enim voluntas quæ certe est car-  
nalis, & plena iniurie aduersus Deum, dum conuer-  
titur,

titur, non est ociosa, sed agit aliquid, & ex se se conatur  
motibus spiritus, & verbo vocantis Dei adsentiri vel  
anuere, quid nam aliud quam vim quandam spiritualem  
in homine veteri residuam esse adseritur. Id vero unis  
uersa scriptura sacra constanter pernegat, Gene: 6. Om-  
ne figmentum cordis humani est prauum ab ineunte etate  
Iohan: 3. Quidquid ex carne natum est, caro est. 1. Coros-  
rith: 2. Animalis homo non percipit, ea quae sunt spiri-  
tus: Quibus fulminibus superba ceruix Synergiae plas-  
ne frangitur.

Eodem modo discrepat à verbo Dei, quod in  
Enarrationibus Philippi, æditis titulo Caspari Crucige-  
ri in Euange: Iohan: Causa electionis hominis libero  
arbitrio adscribitur. Sic enim habet Enarratio: Quos  
igitur eligit: Respondeo, Eligit eos, qui se sustentant pro-  
missione, quæ propter filium proposita est: Quanquam  
igitur non proper hominum merita eligit: tamen discris-  
men est inter eos qui recipiuntur & coeteros: Nam hi  
qui recipiuntur, retinent vocem Euangelij, huic adsentis-  
untur & se sustentant agnitione Christi. Certum est quis-  
dem discrimen esse inter electos, & reprobos: Necq; infi-  
ciatur quisquam, eos qui verbum amplectuntur, reti-  
nent, & in fide ad finem persistunt esse electos: Verum  
causam electionis adsignare voluntatis ad sensui, vt ea  
pendeat non à Dei proposito, sed ab hominis arbi-  
trio, id plane falsum, & scripturæ est contrarium. Ideoq;  
quod eodem loco in Enarrat: in 6. cap: additur. In his  
experientia docet non esse ocium voluntati, sed in magno  
certamine iungi has causas, verbum Dei, spiritū sanctum,  
& humanā voluntatem: Si de luctatione renatorū, & de  
conuersa hominis voluntate diceretur, verum esset: Quia  
vero

vero agit scriptor de ipsa conuersione, de amplexu verbi,  
& de modo, quo pater mentes docet ac trahit: imo de  
causis fidei inspiratae, Tertia causa, videlicet, voluntas hu-  
mana excludenda fuit.

**Georgius**                    **Est & ementitæ Synergiaæ patronus D. Georg:**  
**Maior.**                    **Maior:** Hic enim in expositione Epistolæ, quæ feria ter-  
tia Pentecostes in Ecclesia proponi consuevit populo,  
proterue admodum exagitat doctrinam, quæ soli clemen-  
tiæ Dei opus conuersionis adsignat: & adserere conatur,  
esse quandam in hominē libertatem, quæ Dei operatio-  
nem cum in contritione, dum in fide accendenda adiu-  
uet. Singulari quidem artificio suam profanam occultat  
sententiam: & virulentissima sycophantia pie docentis  
um confessionem incessit atq; arrodit: viri tamen cor-  
dati intelligunt, quem errorem phaleratis suis verbis Ec-  
clesiæ propinare conetur. Ne autem quiritetur me per-  
peram eius dicta interpretari, ipsius verba adscribam.

**Homil:**                    **Est autem hæc dissimilitudo, quod alij conuertun-**  
**s. Para:**                    **tur, alij non conuertuntur, non à vocante, aut verbo vo-**  
**Pag: 396**                    **cantis, quod est vniuersale & omnibus ac singulis æqua-**  
                                  liter concionatur: Sed ab auditoribus dissimilibus diuer-  
                                  sitas illa oritur. Hos enim qui furenter abiiciunt verbum,  
& abiecto verbo perseverant in sceleribus, abiicit etiam  
Deus & ruere permittit, nec eos violentis raptibus ad se  
trahit: Sed hos trahit ac flectit, conuertit & saluat, qui  
verbum auditum amplectuntur, & qui perculsi terrore  
accusationis liberari se petunt.

Attendat Lector causam inquiri, cur alij conuer-  
tantur,

tantur, alij in morte relinquuntur: Hic nos Maior deducit ad libertatem arbitrij in homine, & adserit eos trahi & conuerti, qui amplectuntur verbum, et petunt se liberari: Ergo tantum facultatis tribuit homini non renato ante regenerationem, ut ex sese verbum amplecti, & Deum inuocare pro sui liberatione possit. Hoc sane nihil aliud est, quam prolixè tribuere homini liberum arbitrium in rebus spiritualibus, qui sacrilegus error in Ecclesia Dei non est ferendus. Nemo sane negat eos qui furenter in sceleribus perseverant, & verbum abiiciunt, non conuerti: At causam cur alij, qui ex eadem sunt massa, & eodem carcere peccati conclusi, conuertuntur ad Deum, tribuere hominis voluntati, quæ ex sese verbum sponte amplectatur, & se petat liberari, eius est qui se manifestū gratiae hostem profitetur.

Hanc quoq; falsam & verbo Dei contrariam regulam Ecclesiæ conatur obtrudere: Quod verbum Deus immensa bonitate sic tradidit, ut audiri & intelligi à non repugnante aut furenter id abiiciente possit, addita dulcissima promissione, se in audientibus & volentibus id amplecti, simul præsentem & efficacem fore in docendo & illustrando verbo, & in iuuandis amplectentibus. Clarius vero sese aperit, pag: 409. Quanquam facultas discernendi & eligendi res in natura & voluntate hominis tristissime turbata & confusa est: Tamen cum alius sit iudicij & electionis libertas reliqua, mittitur filius Dei hoc modo, ut vulnera illa in natura lacera, & confusa Spiritu suo sancto, per verbum sanet. Meminerit Lectio agere Maiores de conuersione & motibus erga Deum: hic adfirmat reliquam esse quandam libertatem,

& iudicij & electionis: Ergo homo non erit mortuus in  
delictis, nec plane omni vita spirituali orbatus: quod tam  
men sacra scriptura constanter adserit. Non igitur nobis  
succensere debet D. Georg: Maior, quod erroneam eius  
opinionem de libero arbitrio, commoti auctoritate Pro-  
phetica & Apostolica explodimus.

Quod vero maledico & blasphemо suo stylo scri-  
bit doctrinam, quam Ecclesiae Saxonicae de hoc articulo  
profitentur, imo quae Apostoli Pauli, Christi, & omnium  
Apostolorum est, immediate à Diabolo profectam  
esse, & furorem adpallat, Christiano homini dubium non  
est, quin ipsius Satanae instinctu, atq; afflatus sit factum.  
Non enim à mendaci Spiritu, sed per filium Dei pater-  
facta est hæc doctrina: quod nemo queat venire ad  
Christum, nisi quem pater traxerit. Quod ergo  
alij prætereuntur, iustissimo fit Dei iudicio: quod ve-  
ro alij, eiusdem massa damnatae trahuntur & fide do-  
natur, Non est volentis neq; currentis, sed misere-  
rentis Dei. Si naturam & ingenium hominis in-  
tuearis habet is sese hostiliter erga Deum & propri-  
am salutem: Cum vero cor hominis pulsatur verbo,  
& spiritu trahitur, ex nolente fit volens, ex hoste fit fi-  
delis, ex repugnante fit adsentiens: Idq; solius Dei be-  
neficio & gratuito dono, hominis voluntate nihil ad  
hoc cooperante.

Paulus  
Eberus.

D. Paulus Eberus in confessione de lib: arbit:  
plane pugnantia in eadem periodo adserit: & nunc  
Erasmianam, nunc Lutheranam, vel potius Christianam  
sententiam ponit: Videri tamen vult adsertor Synergia.  
Ait

Ait enim : Huic promissioni, mandato, ordini diuino ad-  
firmamus debere & POSSE hominem obedire, &  
obedire volentem & sine coactione. Hoc nos expresse  
negamus : Contradicit enim Eberus manifestæ voci  
Christi, Nemo potest ad me venire , nisi quem pater tra-  
xerit. Quid est venire ad Christum , quam amplecti  
eius promissionem, & obedire eius mandato & verbo :  
Id nemo potest, inquit Christus, nisi pater eum traxerit :  
Eberus vero ait hominem debere, & Posse obedire man-  
dato Dei, quod iubet ut filio credamus. Vtri potius sit  
habenda fides, si quis addubitat, eum non esse sanæ men-  
tis certum est.

Synergiaæ quoq; ementitæ adseritor est D. Iohannes Iohannes  
Pfeffingerus : Is enim in libello cui titulus est, Sententiae Pfeffinge-  
rui. consolatoriaæ, his verbis hominis cooperationem in con-  
uersione, & arbitrij libertatem adserit. Hæc enim inquit,  
de regno Dei concio, quæ est sancti Euangeli, non pro-  
ponitur statuæ, neq; stipiti, trunco, saxo, aut rationis ex-  
periæ creaturæ annunciatum : sed homini cuius voluntas  
& ratio, tum sancto Spiritui se subiçere, eiq; seruire &  
obedire debet, & ope quidem & auxilio eiusdem Spiriti  
tus sancti sese ei subiçere, eiq; seruire & obedire potest.  
Ex gratia enim & misericordia Dei, hæc potestas data est  
omnibus hominibus, vt filij Dei fiant, si verbo æterno,  
qui est filius æternus Dei credant, eumq; accipiant.

Dupliciter hic impingit, primum quod adserit  
hominem posse sese subiçere Spiritui sancto, si modo ad-  
iuetur. Paulus ad Roma : 8. contrarium adserit, sen-  
sum carnis esse inimicitiam aduersus Deum; neq; posse  
Z 2 subiçti

subiisci legi Dei. Deinde quod scribit ex gratia & misericordia hanc potestatem omnibus hominibus esse datum, id nullo scripturæ dicto probari potest: Iohann: 1. losquitur de credentibus, atq; ihs dicit hanc prærogatiuam datam, ut cooptentur in filios. Quod vero potestas creditendi in Christum absq; discriminé omnibus hominibus sit data, velim aliquo Propheticō vel Apostolico testimoniō confirmaretur. Lego enim: Ergo cuius vult misericordia, quem vult indurat. Item, Nemo venit ad me, nisi cui datum fuerit a patre meo. Item, Omnis qui audíti & discit a patre, venit ad me. At non omnes veniunt ad Christum: Ergo necesse est non omnes a patre doceri & trahi, & credendi facultate donari.

Crassius adhuc errat & effectæ Synergia patrociniatur, in propositionibus de libertate voluntatis editis: Nam Prop: 13. vbi de fiducia vincente paurore agit, sic scribit: Hæc etsi fieri non possunt, sine auxilio Spiritus sancti, non tamen in his nihil agit voluntas, nec habet se ut statua, sed concurrunt agentes causæ Spiritus sanctus mouens per verbum Dei, mens cogitans, & voluntas non repugnans, sed vt cunq; iam mouenti Spiritui sancto obtemperans, & simul petens auxilium Dei. Et Prop: 17. Sequitur ergo in nobis esse aliquam causam cur alij adsentiantur, alij non adsentiantur.

Hoc falsissimum est: Causa enim adsensus non a nobis, sed a Deo est, iuxta dicta: Deus est qui efficit in vobis, & velle & operari. Item, Non est volentis neq; currentis, sed miserentis Dei. Item, Ut secundum electio nem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocane

vocante. Si causa adsensus in nobis est, iam non ex vocante, sed ex nostro opere est adsensus: Paulus vero diserte ex vocante esse adfirmat. Non ergo consistit Pfeffingeri propositio. Item Prop: 34. Expressè adseuerat, se voluntati humanæ tribuere quandam Synergiam, quam deinde sic exponit, qualemcumq; adsensionem & adprehensionem, qua nos subiçiamus verbo oportere nos adferre à nobis. Item Propos: 35. Quam fidem seu fiduciam accedit Spiritus sanctus in nobis, non repugnantibus, sed adsentientibus & obedire conantibus.

Quæ sane omnia eo tendunt, ut veteri & in peccatis emortuo homini tribuant, vim quandam spiritualem ante conuersionem, qua possit si modo à spiritu admoneatur & iuuetur, ac si velit ex sese sponte accedere ad Christum, amplecti verbum, comitari gratiam, & obtemperare spiritui, atq; etiam implorare Dei opem: Id vero cum discrepet à Prophetica & Apostolica doctrina, falso me alienum esse ab illo Philosophico commento.

Non alio consilio hæc incommodo dicta indicaui, quam vt ostenderem, quam sit nunc necessarium perspicua confutatione obuiam ire repullulanti errori Semipelagianorum, & quam grauiter impingant Synergiae patrui. Tum vt monerem Ecclesiam, vt illa errorum semina, quæ multorum libris sparguntur caueat. Si quis ergo piaë admonitioni locum dabit, candide meam voluntatem interpretabitur: Si quis calumniandi ansam venatur, pascat se sane suis delicijs: dummodo sciat, nos bis ipsa veritate nihil esse antiquius.

Hactenus exposuimus qui errores & corruptelæ

contra Prophetarum & Apostolorum doctrinam, de seruo hominis arbitrio, & de conuersione eius per gratiam Dei Ecclesiae sint obtrusæ : & à quibus præstigijs mens pia sibi cauere debeat . AEternum filium Dei , cuius sermo est veritas solida & indubia , toto pectore oro , ut omnes furores & mendacia , tam Manichæorum , Schyuenckfeldianorum , & Enthusiastarum : quam Pes lagianorum , Erasmianorum & Synergistarum , suo Spissitu sancto confutet & reprimat , ac stirpitus eradicet : Ac nos omnes in sincera sui agnitione & recto diuini verbi intellectu conseruet , & nos semper eruditat : Amen . Nunc confutationem quorundam sophismatum adiuti spiritu Dei adjiciemus .

## CAPVT VII.

### CONFUTATIO SOLIDA CAVILLATIONUM, quibus Apostolica doctrina de seruo arbitrio impugnatatur.

**A**Quiescere omnino debet pia mens , in ea sententia , quam intelligit diuinitus per indubios testes patet , etiam : oratione clarissima expositam , & ipsius filij Dei voce comprobata esse . Hoc enim nisi statuat , nunquam poterit de vera aliqua sententia fieri certa . Nam qui ipsi Deo fonti omnis veritatis derogat fidem , nullo certitudinis argumento stabiliri potest . Nec refert adeo , ut vel conscientiam nostram turbare , vel salutem impedire debeat , si omnia sophismata , quibus fides nostra

stra verbo Dei munita conuellitur, diluere, & omnes la-  
byrinthos explicare, et euoluere nequeamus. Fides Chris-  
tiana, quo simplicius verbo adhæret, quo tutior est ad  
uersus hostem, & quo laudem Deo tribuit vberiorem.  
Cum enim constat quæ sit expressa Dei voluntas, non  
potest amplius suspendi adsensus, qualescunq; tandem  
cauilli concutiant mentem, & diuersum clamitent, sine  
grauii Dei contumelia. Omnia itaq; sophismata quæ ad-  
feruntur à ratione, quæ in rebus sacris inuoluere se laby-  
rinthis, & tenebras sibi augere præclare potest, rursum  
vero se se educere atq; explicare, & viam aliquam sibi  
monstrare non potest, quasi gordei nodi vnica sectione  
sunt soluenda.

At illa argumenta, quæ ex verbo Dei perperam  
citato depromuntur, non tam facile negliguntur. Nisi  
enim quæ adferuntur testimonia enarrentur, & consen-  
sus demonstretur, periculum est, ne aut errorem persua-  
deant, aut totius sacræ scripturæ fidem & autoritatem in  
dubium vocent, quasi ea nihil certi de nostra religione  
tradat. Dabimus igitur hic operam auxilium præbente  
spiritu, ut scripturæ sacræ locos, qui videntur sententiæ,  
quam supra tradidimus aduersari explicemus eorumq;  
consensum cum hac doctrina indicemus. Consistit autem  
tota pene vis nostræ confutationis seu explicationis, in  
bis Hypothesibus, quæ singulari attentione Lectori sol-  
licito de veritate sunt obseruandæ.

I.  
Licet sint diuersissimi generis dogmata, doctri-  
na Legis & Euangelij, nullo modo tamen ita inter se  
pugnant, ut vnum euertat alterum; sed utraq; doctrina  
est æter-

est æterna Dei & immota veritas. Ac ut ex lege patet  
immota Dei iustitia, & hominis iusta damnatio: ita in  
Euangelio inscrutabilis Dei misericordia, qua gratis sal-  
uat electos reuelatur.

II. Ex lapsu primorum parentum sumenda est ori-  
go seruitutis humanæ, & causa damnationis reprobo-  
rum.

III. Non est vterius inquirendum Dei consilium  
aut voluntas, quam quantum in verbo Prophetico &  
Apostolico est generi humano patefactum.

IV. De facultate virium humanarum & conuersio-  
nis modo, & tota causa nostræ salutis, nec ratio nec Phi-  
losophia est audienda, sed tantum vox diuina, quæ in  
scriptis Propheticis & Apostolicis extat.

V. Magnum est discrimen inter res spirituales, quæ  
æternæ & cœlestes sunt: & inter res corporales vel hu-  
iis vitæ. In hac controuersia de spiritualium rerum ades-  
ptione, & salutis æternæ adprehensione agi constat.

VI. Discernantur vires renatae & sanctificatae volun-  
tatis, à facultate veteris hominis nondum conuersi, neq;  
per spiritum transformati. Hic enim quid vetus homo,  
sua mente & voluntate ex sese ad conuersionem possit  
conferre differitur.

Hæ Hypotheses, quas nullo negocio verbū Dei  
perspicuis testimonij munire possemus, si lectori perpe-  
tuo in

tuo in conspectu fuerint, non erit ei difficile ab aduersariis allatos cauillos solide diluere. Quod igitur in hac causa omnium videtur intricatissimum, & ab omnibus scriptoribus, qui de libero arbitrio aut prædestinatione scripsierunt varie agitatum est, primo loco iuuante gratia tractabimus.

#### I. ARGUMENTVM.

Si voluntas humana in conuersione sui nihil agit, sed totum hoc quod salus accipitur, pendet à solo Dei beneficio: necesse est non esse eandem Dei, erga singulos homines voluntatem. Non enim conuertuntur omnes.

At est omnino eadem Dei erga omnes homines voluntas. Et omnibus ex æquo offertur gratia: Nam Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.

Ergo necesse est agere aliquid humanam voluntatem, & in ea sitam esse causam vel acceptæ, vel reiectæ salutis.

Respond: Vehementer in hoc argumento sudent ab Augustino, Prospero & alijs, qui gratiam Dei aduersus liberi arbitrij patronos defenderunt. Durum enim videtur adserere Deum, non eadem clementia erga omnes esse affectum. Nec tamen vlo modo doctrina de gratuita Dei electione à fideli homine infringi potest, sed vera, necessaria, ac solida responsio est,

Quemadmodum clementissima Dei electio, qua gratis absq; vlli meriti respectu certam Ecclesiam per a filium

filium sibi ad societatem vitæ æternæ elegit, non repugnat immenso Dei beneficio , quo totum genus huma-  
num in creatione adfecit , & singulis obtulit salutem :  
ac quemadmodum doctrina Euangeliū, quæ gratis do-  
nat salutem, non est contraria legi diuinæ, quæ omnia ex  
merito decernit : Ita voluntas Dei, qua vult omnes ho-  
mines saluos fieri non est contraria voluntati , qua tan-  
tum electis, & in filium Dei creditibus donat salutem  
& vitam. Bifariam enim considerandam esse Dei vo-  
luntatem, vniuersa scriptura est testis. Non quod vlla  
sit vel simulatio, vel fallitas, vel contradic̄tio in Deo : Hoc  
enim prorsus est impossibile. Veruntamen non semper  
est idem respectus diuinæ voluntatis. Alias enim per se  
consideratur æterna & inexhausta Dei clementia & bo-  
nitas, absq; aliarum rerum collatione. Alias voluntas &  
consilium Dei aliquo respectu consideratur.

Illustre exemplum est in morte vnigeniti filij Dei.  
Si amorem patris per se expendas, nihil magis vult De-  
us, quam vt vnigenitus filius Dei perpetuo viuat, & ab  
omni miseria immunitis suprema beatitudine fruatur. Ea-  
dem tamen voluntas patris, vt generis humani saluti con-  
sulat decernit filio mortem. Hæc non pugnant inter se. <sup>sæ</sup>  
Nam amor ille immensus manet immotus : nec mutatur  
voluntas Dei prior, nouo consilio de redemptione gene-  
ris humani per filij mortem, sed euentu salutari, magis sta-  
bilitur.

Sic pius & cordatus parens nullo modo vult , vt  
flagris cædatur filius, si solam eius species voluntatem.  
At quum videt alio modo mores filij non posse corrigi,  
ncg

neq; eius consuli saluti, nequaquam parcit virgis. Haec  
licet diuersae, non tamen contrariae sunt voluntates: Ita  
nec in Deo contrariae sunt voluntates, quod scriptura tes-  
statur, Deum velle ut omnes homines salui fiant, quodq;  
eadem adfirmat: Multos esse vocatos, paucos vero elec-  
tos. Item, Neminem posse venire ad Christum, nisi  
quem pater traxerit. Si enim solam & per se species Dei  
voluntatem, est ea citra omnem dubitationem eiusmodi,  
ut vniuerso generi humano cupiat sua bona impertiri:  
neq; inuidet cuiquam salutem. Atq; haec bonitas Dei in  
ipsa creatione est evidentissime demonstrata, cum toti  
generi humano vera iustitia, vita ac lateria est donata:  
Qui affectus in Deo perpetuus manet, nec vlla ratione  
immutatur. Non enim nullius hominis perditione deles-  
tatur: nemini causa est interitus: nemini adimit credens-  
di facultatem: neminem impellit ad desperationem: Imo  
vere displicet ei vllam creaturam, quae ab ipso facta est  
tuere in exitium. Ac tanta est Dei bonitas, clementia,  
misericordia, lenitas, & amor erga vniuersos & singulos  
homines, vt ea nullius hominis vel angeli cogitatio com-  
prehendere queat. Quare verissime a Paulo & Petro  
dictum est: Deum non velle ut quisquam pereat, sed  
potius ut omnes ad poenitentiam redeant, & salui fiant,  
scilicet quatenus Dei voluntas per se expenditur, atq; bo-  
nitas Dei in prima hominum conditione demonstrata  
consideratur. Voluntas Dei non est, vt pereant Cain,  
Pharao, Core, Saul, Iudas: Etiam de illis pereuntibus ve-  
rissime est dictum: Viuo ego nolo mortem peccatoris,  
sed vt conuertatur & vivat. Quia vero non conuertun-  
tur, iustissimo Dei iudicio abiiciuntur.

Huic vero voluntati diuinae tam clementi erga totum

genus humanum & singulos homines , non est aduersa  
altera voluntas , qua ab æterno in filio suo certam Eccles  
siam absq; omni respectu meriti elegit : quin potius hæc  
gratuita vocatio illum prius in creatione ostensum amo  
rem confirmat . Siquidem bonitatem Dei immensam esse  
necessæ est , posteaquam nec hominum peccatis est ab  
sterritus , quin aliquos saluaret . Quare vero hoc secundo  
beneficio electionis , non totum genus humanum ad  
sumpserit , quemadmodum in creatione yniuersis donauit  
salutem & vitam , Paulus Roma : 9. quodammodo indi  
cat . Quid si ( inquit ) volens Deus ostendere iram , & noz  
tam facere potentiam suam , tulit magna lenitate vasa iræ  
destinata ad interitum : & vt notas faceret dñitias glo  
riæ sua erga vasa misericordiæ , quæ præparauit ad glo  
riam . Hic causas exponit Apostolus cur Deus quoddam  
in electione præterierit , & in damnatione reliquerit , vi  
delicet , vt in eis exemplum sua ardenter iræ aduersus  
peccatum statueret , atq; ita sapientiam suam in creatione  
patefactam non vocaret indubium . Deinde vt in dele  
tione hostium Ecclesiæ suam infinitam ostenderet poten  
tiam . Postremo vt beneficia Dei immensa erga Eccles  
siam tanto essent conspectiora . Hoc ergo respectu Deus  
non vult , vt omnes saluentur : Non enim omnes elegit .  
Non quod ipsius voluntas alicui sit causa interitus : aut  
quod ex alicuius damnatione capiat voluptatem : Imo  
magna patientia tollerat etiam vasa iræ , haud dubie ea  
deleturus , & in nihilum redactus , nisi ea quoq; ad sue  
gloriæ amplificationem , & salutis Ecclesiæ illustrationem  
vsurparet .

Nec sane vel plures , vel magis vicinæ cause nobis  
inuestis

investigandæ sunt, quam hic per Apostolum sunt patefas-  
tæ. Si vero petulans hominum ingenium hinc conetur  
Deo intentare calumniam, quod non elegit totum genus  
humanū, sed aliquos præterierit, in eo nihil nisi extremam  
suam maliciam, cum magna stoliditate conjunctam pro-  
dit. Cum enim Deus non solum misericors & clemens,  
sed etiam rectus & iustus sit, intererat ipsius gloriae, ut ita  
temperaret sua diuina consilia, vt simul & immensa boni-  
tas eius, & seuerissima iustitia, & odium aduersus pecca-  
tum in omni æternitate consiperentur. Et qui nam pos-  
set vlla iniustitas Deo obijci, cum ne tum quidem de vlla  
iniustitia potuisse accusari, etiamsi nullum hominum  
elegisset.

Compescat igitur fremitus suos iniustus animus  
hominum, & potius tremendam Dei iustitiam & æqui-  
tatem in supplicio reproborum agnoscat, ac vicissim in-  
effabilem Dei bonitatem ac clementiam in gratuita ele-  
ctorum saluatione admiretur, & grata voce celebret. Il-  
lic supplicia æquitatis trutina iustissime librantur: Hic  
liberationis & salutis dona gratuita clementia effundun-  
tur. Illuc dolor non habet quod culpet in seueritate: Hic  
salus donata non inuenit, vnde de proprio glorietur  
merito. Vniuersæ itaq; creaturæ obstructa sunt ora, ne  
Dei opera calumnientur. In omnibus enim & iustissima  
norma sapientiae, & clementissima voluntas conspicuntur.

Non igitur repugnantes sunt in Deo voluntates,  
quod omnes homines vult saluos fieri: Et tamen non  
omnes elegit, aut trahit sua gratia. Nam primo loco vo-  
luntas Dei per se consideratur: quod ea sit beneficia erga

totum genus humanum : quod ea toti generi humano obtulerit salutē in creatione, quam suam voluntatē absq; omni simulatione retinet: quod neminem impellat ad la- bendum, nemini imponat necessitatē pereundi, nemini sit causa ruīnae, nemine impediat quo minus resurgat, nullius interitu delectetur. Quod vero aliquos elegit, quos spiritu suo renouet: quosdam vero prētereat, nouum est consiliū & beneficium, non contrarium priori, sed maxime con- sentaneum, ac non solum stabiliens priorem voluntatem, verum etiam novo genere beneficij illam exuberans. Magnæ enim & inestimabilis est bonitatis, quod Deus ex nihilo condidit genus humanum, omnibus donauit vitam & salutem, non nostris commonefactus meritis, sed sua sponte ad beneficiendū promptus. At longe ex- cellentioris & admirabilioris est clementiae & sapientiae, quod etiam in peccatum lapsis, et mortem meritis, benefi- cio Dei abusis, ingratis hostibus suis, viam inuenit salu- tis, & odio sui posthabito ad vitæ æternæ confortium, quodammodo duplii adsciscit misericordia.

Qui vero ita accipiunt hanc vocem velle Deum, omnes homines saluos fieri ut hinc contendant, omnibus ex æquo offerri Dei gratiam, omnesq; æqualiter à Deo trahi & singulis donum credendi offerri, hi manifesta ex- perientia refelluntur. Nemo enim inficiari potest, varijs gentibus multis seculis, denegatam esse verbi diuinī præ- dicationem, per quam Deus operatur salutem & regene- rationem. Permisit Deus inquit Paulus, gentes ingredi vias suas: Interea vero continua serie in populo suo Pro- phetas excitauit, per quos suam Ecclesiam erudiuit, de peccato admonuit, ad poenitentiam vocauit, ad Christum deduxit.

deduxit. Ac ediuerso Christo exhibito gentibus dedit  
Euangelij lucem; Iudeos vero usq; in hunc diem coecitas  
te & amentia percussit.

Nostro seculo in Germania nobilem thesaurum  
suae clementiae aperuit, & lucem verbi accendit, cum in  
coeteris regnis horribiles sint tenebrae, & omnis pene Dei  
noticia extincta. In ipsa quoq; Dei Ecclesia magna est  
huius muneris diuersitas: Alias fideles & synceri dantur  
doclores idonei ad docendum: alias occupant ministeria  
um venenatae viperae, quae nihil nisi virus effundunt, &  
magnam multitudinem a synceritate fidei abducunt.  
Verissimum est quidem haec non fieri sine iustissimo Dei  
iudicio, erroribus punientis verbis sui contemptum. Gen-  
tes oppressit coecitate quia promissionem de Messia ab-  
iecerunt: Ac iudicij diuini severitas, extendit sese in  
obnoxiam posteritatem. At cum rursus accendit ver-  
bi sui faciem: non minus habet quod puniat quam ans-  
tea. Et tamen gratiae suae fontem sponte aperit. Tan-  
ta quoq; diuersitas casuum humanorum argumento est,  
non ex aequo vocari omnes sancta vocatione. Omnium  
infantium eadem est conditio, idem meritum: Et tamen  
alijs contingit gratia Baptismi: alijs hoc salutare lauaz-  
crum denegatur. Baptismo regenerati alijs mox hinc  
eripiuntur, alijs cum salutis perceptae detimento vita  
prorogatur. Multi securi & flagicij contaminati, gra-  
ui sape calamitate admonentur ut resipiscant, dum alijs  
in ipsis saepe sceleribus subito auferuntur, antequam re-  
sipiscant.

Nec sane negari potest, longe aliter tractum esse a  
patre

patre Petrum Apostolum, cuius cor feritur adspectu filii  
Dei, pro quo & orat si ius Dei, ne deficiat fides eius:  
quam Iudam, quem finit Deus mergi in desperationem.  
Quis non videt Paulum! Apostolum furentem aduersum  
Ecclesiam, & de cœlo tactum, atq; prostratum, longe  
secus vocatum, quam Pharisæum Luc: 18. qui in sua su  
perba persuasione relinquitur. Lydiae Thyathirena apes  
ruit Deus cor, vt attenderet ad verba Pauli: Si eodem  
modo singulorum corda tetigisset, haud dubie singuli  
audiuissent eadem attentione. Nam hæc gratia Dei talis  
est, vt a nullo duro corde respuatur: Siquidem ea est, que  
cor lapideum excindat, & credendi affectum insipiet, &  
ipsum efficiat fidem.

De Pharaone dicit Deus, Ego indurabo cor Pha  
raonis: Ergo non eo modo emollit eius cor, atq; emollie  
vit Moysis & Aaronis corda. Etsi enim indurationis &  
obstinationis in Pharaone non est author Deus, neq;  
causa efficiens propria: tamen euidentissime ex eo dicto  
colligitur, cor Pharaonis gratiæ spiritualis dono non esse  
perfusum, quemadmodum aliorum piorum. Ideoq; in  
hanc sententiam hæc verba allegantur à Paulo Rom: 9:  
Ergo quem vult indurat, & cuius vult miseretur, Id est,  
non omnium miseretur, neq; omnes trahit pater, sed alios  
conuertit, alios praterit, arcano quidem nequaq; tamen  
iniusto iudicio. Atq; hinc est quod Paulus distinguit,  
vocationum genera. Alia enim est sancta & specialis,  
qua electos vocat non solum externi verbi prædicatione,  
sed etiam intrinsecus, pulsante animum spiritu Dei: alia  
est externa & generalis vocatio, de qua dicitur: Multi  
vocati, pauci vero electi. Ergo dictum hoc, Deus vult  
omnes

omnes homines saluos fieri, eo non est torquendum,  
quasi pari efficacia omnium hominum corda moueat ad  
fidem: id enim ad specialem Dei pertinet voluntatem.

Non enim de externo tantum verbī ministerio lo-  
quitur Christus, cum inquit: Nemo venit ad me, nisi pa-  
ter traxerit eum, sed de beneficio peculiari, quo inspira-  
tur homini voluntas bona, & datur credendi facultas,  
atq; ipse fidei affectus in homine creatur. Explodenda  
itaq; est Fausti illa Regiensis Episcopi Philosophica in-  
terpretatio. Quid est inquit, attrahere, nisi prædicare, nisi  
scripturarum consolationibus excitare, increpationibus  
deterrire, desideranda proponere, intentare metuenda,  
iudicium comminari, præmium polliceri? Multo rectius  
loquitur Augustinus. Ergo trahi à patre, & audire & di-  
scere à patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quam  
donum accipere à patre, quo credit in Christum. Cum  
igitur hoc donum non contingat singulis, ad seuerari non  
potest, Deum ita velle ut omnes homines salvi fiant, ut  
singulos pari motu & efficacia trahat ad sese, sed necesse  
est fateri esse quandam specialem & sanctam Dei voca-  
tionem, qua electos in regnum sui filij cooptat.

Iam si quis interroget, cur Deus qui suram erga om-  
nes prædicat bonitatem, hunc eligat, vocet, spiritu trahat  
atq; regeneret; illum prætereat, & indurescere sinat; Fa-  
tendum est nobis cum Augustino, nos non reperire quid  
respondeamus, vel potius cum Apostolo Paulo nobis est  
exclamandum. O altitudo diuinitarum sapientiae & cog-  
nitionis Dei, quam inscrutabilia sunt eius iudicia, & in-  
vestigabiles viæ eius! Meminerimus hic nos homines  
b esse,

esse, qui totam Dei sapientiam exhaustire nequimus.  
Haud dubie sapientissime, iustissime & clementissime  
Deus elegit Ecclesiam: Quia vero secretum esse voluit,  
cur, cum omnium hominum natura sit pariter corrupta,  
& omnes innocentia destituantur, hunc adoptet gratia,  
illum rejicit iudicio, contenti sapientia quam nobis in  
verbo communicavit, ne scrutemur addita eius consilia,  
quaes haud dubie cum nostro commodo occuluit.

Quemadmodum & pie inquit Prosper de voca-  
gent: Sed cur illorum non sit misertus, horum vero mis-  
ertus sit Deus: quae scientia comprehendere, quae potest  
inuestigare sapientia? Latet discretionis ista ratio, sed  
non latet ipsa discretio. Non intelligimus iudicantem:  
Lib: 1. de  
uocat:  
gentium. sed videmus operantem: Quid calumniamur iustitiae oca-  
cultae, qui gratias debemus misericordiae manifestae. Lau-  
demus & veneremur quod agitur, quia tutum est nesci-  
re quod tegitur. In abscondito est consilium, sed non la-  
tet donum: Opus exerit pietas, causam obscurat potes-  
tas: Haec modestia & nos decet & mandata est. Ne  
altiora te inquit scriptura, quiesceris. Item, Noli altum  
sapere. Item, Quis cognouit sensum Domini? Hoc igitur  
sufficiat nobis scire, neminem a Deo rejici, nisi dignum  
supplicio, neminem adsumi in vitam, nisi gratia prorsus  
indebita: ab illo iustitia exigit debitum, hunc misericor-  
dia exornat dono, claret in utroque rectissima sapientiae dis-  
tinctio norma.

Nec propterea obijci Deo potest personarum ac-  
ceptio, aut iudicij inæqualitas: Nam de leueritate suæ ius-  
titiae in lege patefactæ prorsus nihil remittit, Reddit  
vnus

vnicuique secundum opera sua. Atque ideo oportuit unigenitum Dei filium persoluere λυτρόν pro peccatis generis humani, ne legis diuinæ sapientia labefactaretur. Hac vero norma stabilita, liberum fuit Deo, adsumere in societatem filij sui, quos visum fuit,

Est autem acceptio personarum, non cum inaequalitate tribuuntur aequalibus: sed cum neglecto causarum merito, iudicium de præmio vel supplicio ad personarum circumstantiam, à causa prorsus alienam inflectitur. Ut si iudex potentem moechum absoluat, tenuis vero fortunæ hominem ob idem scelus supplicio adficiat. Talis vero personarum acceptio, quæ reuera est iniustitia, non est in Deo. Deus enim iustissime iudicat, nullius personæ conditionem tanti facit, ut à iustitiae suæ norma discedat: trascitur omnibus peccantibus, vtque nulli sonti parcit, ita nullum debito defraudat premio.

Quum vero indebita dona liberalitate largitoris distribuuntur, hic nulla lege imponitur aequalitas. Sed ipsa voluntas datoris sui iuris & arbitrij est. Vnde & Matt:20.

in parabola de operarijs in vinea, demonstrat Christus, inaequaliter quidem distributum esse denarium: Ita tamen ut nec iustitiae sit oblitus, pactæ mercedis persolutione, nec clementiam suam occultarit, gratuitæ doni largitione.

Ac dubium non est quin Christus in hac ipsa parabola, & admirandum Dei consilium de Ecclesiæ misericordi collectione quodammodo depingere, & humanæ rationis præposteras cogitationes, quibus calumniatur Dei

secretum iudicium, & incomprehensibilem bonitatem, refellere voluerit, Amice inquit, non facio tibi iniuriam, Nunquid conuenisti mecum de denario? Tolle quod tuum est, & abi. Hæc voluntatem Dei in creatione & legge patefactam ostendunt immotam. Nemini enim de negat Deus quod meritus est, nec mutat suam promissio nem. Tolle inquit, quod tuum est, id est, supplicium, & damnatio debetur homini, ex prima Dei cum homine conuentione: Neq; quidquam subtrahit Deus, quod homini ex lege debetur. Illud vero, An non licet mihi facere de meo quod volo? An oculus tuus nequam est, quod ego tam sim bonus? ad gratiam Dei liberam, & nullis legibus adstrictam clementiam pertinet. Hic vere ut Augustinus inquit, tota iustitia est, Hoc volo. Quis enim Deo præscribat leges sua æterna bona impertinet? Quis statuat modum eius sapientiae, vel liberalitati?

Si quis hominum examinet merita, accurate ea diuinæ iustitia compensantur; si quis hominum diuersam electionem & vocationem miratur, cogitet hinc nihil nisi liberrimam & secretissimam Dei gratiam dominari. Nequaquam igitur acceptio personarum dicenda est specie lis Ecclesiæ electio, sed potius incomparabilis bonitatis, & inscrutabilis iudicij euidentis argumentum. Atque ita p[ro]se mentis officium erit in reproborum damnatione, iustum & seuerum Dei agnoscere iudicium, in sanctorum vocatione clementem, & largissimam Dei admirari gratiam: in secreta electionis occultatione inscrutabilem Dei venerari sapientiam.

Ex his iam patere arbitror, non esse contradictorias in

itas in Deo voluntates: Etiamsi priissimæ creditur, quod  
velit Deus omnes homines saluos fieri. Et tamen irrefra-  
gabiliter adseueretur, non totum genus humanum, sed  
certam Ecclesiam à Deo electam, & in vitæ consortium  
esse ordinatam. Illa potest dici generalis Dei voluntas,  
seu ad legem & creationem congruens bonitas. Hæc ve-  
ro haud dubie specialis est, eaq; in Euangelio patefacta,  
quod videlicet nullo habito meriti ullius respectu cre-  
dentes velit Deus per Christum filium salutari. Hac re-  
sponsione si quis non est contentus, sed pertinacius urget  
verba, Deum velle ut omnes salui fiant, necesse est ut de-  
beat doctrinam de prædestinatione sanctorum, & prober  
ex verbo Dei salutis acceptiōnem, totam in hominī li-  
bero situm esse arbitrio. Quibus duobus articulis vniuer-  
sa sacra scriptura reclamat.

Alio modo se se euoluere conati sunt Augustinus,  
Prosper & alij. August: in Enchrid: cap: 102. ad Lau-  
rent: Ita debemus intelligere, quod scriptum est: Qui  
vult omnes homines saluos fieri, tanquam diceretur, nul-  
lum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse  
voluerit: Aut certe sic dictum est, qui vult omnes ho-  
mines saluos fieri, ut omnes homines omni genus huma-  
num intelligamus, per quascunq; differentias distribu-  
tum, Reges, priuatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humili-  
les, doctos, indoctos, &c. in linguis omnibus, in moribus  
omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate in-  
numerabili constitutos. Quam sententiam Calvinus se-  
quitur, qui omnes homines interpretatur, omnium ordi-  
num aliquos, q; anit non s; m; illi ad id s; s; b;  
Augustinus lib: 4, contra Iulianum. Item de cor-  
reptio-

reptione & gratia. Omnes homines, accipit pro multis,  
seu ijs omnibus qui saluantur. Sed omnes haec expositio-  
nes reuera sunt coactae & violentae. Ac pie dictum est a  
Prospero, priusime credi, velle Deum ut omnes homines  
salui fiant, eo quod nemini facultatem adimat credendi,  
etiam si non omnibus eam inspiret.

Magis itaq; arridet mihi Prosperi responsio, quæ  
extat in libro 2. de vocatione gentium. Deus inquit, om-  
nes vult saluos fieri, scilicet gratia generali, quæ semper  
vniuersis est impensa nationibus; sed alia est vocatio  
specialis, qua electi ad vitæ æternæ consortium adi-  
muntur. Sic & Melant: in Epistolam ad Timo: dupli-  
cem ponit Dei voluntatem aliam efficacem, & peculia-  
rem aliam generalem. Lutherus in seruo arbitrio dis-  
tinguit inter arcam & impenetrabilem Dei volun-  
tatem, & inter reuelatam seu verbo expressam. Non  
quod illa sit in Deo vel simulatio, vel contradiccio.  
Sed quia totam suam sapientiam & æterna consilia, non  
patefecit, sed quantum saluti Ecclesiae esset necessarium.  
Nihil firmius nihil indubitatus est, quam Deum nol-  
le mortem peccatoris: Et omnes qui credant in Mes-  
diatorem vere & absq; omni dubitatione saluari. Ideo  
enim iure iurando stabiliuit suam promissionem, ne vls  
Ius locus esset hæsitationi. Cur vero hunc elegerit,  
illum præterierit, hunc a se auersum clementer ad se  
reuoget, & voluntatem in eo nouam gignat, illum seue-  
re sinat abire in interitum, nec mutet eius voluntas-  
tem, quia in secretissima sua maiestate latere voluit,  
& docte a nobis nescitur, & non sine periculo salutis  
inquiritur.

Hinc

Hinc est quod veteres distinxerunt, inter voluntatem Beneplaciti, & voluntatem signi. Beneplacitum nominarunt æternum Dei decretum, quod nulla ratione posset vel immutari, vel impediri; signi voluntatem nominarunt, vel Perceptionem, vel prohibitionem, vel promissionem, vel operationem. Quid enim velit Deus vel fieri à nobis, vel omitti, in verbo exposuit. Quid vero ab ultima illa æternitate futurum statuerit, quo consilio singula administret, ac quos ad societatem coelestem adscierit intra suæ maiestatis secretos recessus remotissimos ab omni cogitatione hominum continet.

## II. ARGUMENTVM.

Absurdum & incredibile est tot mandata, promissiones, commitmentes, adhortationes, prohibitions frustra à Deo esse proposita.

At si nulla est libertas voluntatis, frustra omnino data sunt illa præcepta de conuersione: Conuertimini ad me, & salui eritis: Nisi poenitentiam egeritis omnes simul peribitis: Circumcidite præputium cordis vestri, alia id genus infinita.

Ergo necesse est aliquam vim tribui libero hominis arbitrio.

Respon: Neganda est minor. Etiamsi enim nulla sit libertas voluntatis ut ea se se posse ad Deum suo nutu conuertere, tamen multiplicem usum habent mandata, & comminationes diuinæ.

I.

Primum enim mandata testantur Deum non esse causam

causam nostræ corruptionis, sed naturam hominis contidisse rectam, & obediendi facultate instruxisse: eam vero libere à Deo discessisse, & in peccatum prolapsam: Ac teneri obstrictam seuero Dei iudicio. Cum enim Deus vere velit, quod mandat, fieri non potest ut tam severo vetiti peccati sit causa. Cumq; conuersionem ad Deum flagitet, necesse est eum non delectari, vel peccato, vel in teritu nostro. Atq; ita immota Dei iustitia, & odium aduersus peccatum, & in qua rectitudine & libertate homo sit conditus, quo iure homo sit obstrictus Deo, quæ sit legis diuinæ perpetuitas, quid in illa integritate potuerit, quid in corruptione amiserit, qua debitio adhuc teneatur obstrictus ex mandatorum repetitione eluet. Non enim hominis lapsus legis mutauit iudicium, sed post lapsum debiti exactio Dei severam stabilit potius sententiam.

II. Deinde mandata Dei, quibus iubemur ut conuertamus nos & circumcidamus corda nostra, nullo modo sunt inutilia, etiamsi nullum sit liberum arbitrium: nam per hoc verbum efficax est, & operatur salutem, & conuersionem suo spiritu. Etsi nullus conuertetur, ille tandem usus mandatorum amplius esset, quod iudicium Dei perpetuum, & hominum damnationem iustum esse conciunct. Verum accedit hæc magna utilitas, quod per mandata, comminationes, legem & promissiones, Deus corda hominum ad se conuertit, & contritiones atq; fidei affectum illis inspirat. Nec refert etiamsi neq; mens persepe doctrinam spiritualem percipere, neq; voluntas sponte obsequi queat. Omnipotens enim spiritus adest verbo, qui mentem cœcam verbi splendore illuminat, & simul accendit intelligendi facultatem: quicq; verbo voluntatem

Iuntatem durissimam emollit, & auersam ad Deum redit. Est enim verbum Dei malleus conterens petras, Ierem : 23. & gladius biceps penetrans quiduis, & ignis consumens, Deut : 4. vel ut Paulus inquit, Potentia Dei ad salutem omni crea Hebr : 4. denti. Non sunt igitur irrita Dei mandata, etiamsi nulla Psal : 29. sit libertas voluntatis: Quemadmodum verbum Christi non erat irritum, quo Lazarum extinctum in vitam res uocabat: etiamsi Lazarus auditu carebat. Deus enim cum loquitur, simul audiendi vires indit cum vult se exaudiri.

III. Tertio in renatis atque conuersis habent usum mandata, minae & adhortationes. In his enim cum noua liberbas sit accensa, & debent & possunt auxilio spiritus, nouam praestare obedientiam, & mandato diuino aliquid quomodo parere. Ac cum totam hominis vitam oporteat esse continuam poenitentiam, id est, mortificationem veteris Adami, & exercitium, & studium augendi, & fons uendi semina nouae creationis, nequaquam inutilia sunt Dei mandata, quae iubent ut poenitentiam agamus.

III. Quarto mandata in ciuili gubernatione morum habent suum usum: supra enim concessum est restare in homine libertatem, quoad gubernationem vitae in exterioribus & ciuilibus actionibus. Proponit itaque mandata Deus & comminationes, ut singulos a manifestis sceleribus absterrreat, et honesta disciplina naturae petulantiam et effrenem lasciuiam coerceat: hoc enim naturae non restituta adam huc reliquum est ut in his obtemperet. Haec igitur solutio omnibus dictis, in quibus mandata Dei urgentur ad stabilendum liberum arbitrium satisfacere potest. Ac

quanquam hi usus præceptorum à nobis ostendi non possent, nequaquam tamen firma connexione ex Dei mandato hominis colligeretur libertas seu soluta à necessitate potestas. Si enim hoc quod mandauit Deus, necesse est esse in hominis libera potestate, ne videatur vel trunco mandasse quidpiam, vel surdo narrasse fabulam, quid prohibet quo minus colligamus: In potestate hominis esse ut uniuersa Dei mandata seruet, & diligit Deus ex toto corde, ex tota anima & omnibus viribus. Id enim homini à Deo mandatum, nemo est qui ambigat. Quod si nemo nisi Pelagio magis insanus & blasphemus adserere audet, in hominis esse potestate ut toti legi perfecta obedientia obsequatur: Sequitur ex Dei mandato, nullam posse hominis libertatem vel facultatem demonstrari: sed tantum quo debito homo deuinctus sit suo creatori.

### III. ARGUMENTVM.

Deus ipse in promissionibus, quas cum conditione obedientiae proponit, hominis allegat voluntatem, ut Iesu: 9. Si volueritis & audieritis, bona terrae comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum. Iere: 4. Si abstuleris offendicula tua à facie mea. Deut: 28. Si autem audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris, &c. Leuit: 26. Si in præceptis meis ambulaueritis.

Effent autem huiusmodi promissiones meri sarcasmus, & illusiones quibus Deus insultaret miseris hominibus, si nullum esset liberum hominis arbitrium. Quod cum impie vel cogitetur faltem, necesse est aliquam esse voluntatis libertatem.

Respon:

Respon: Primum ex tua promissione offerentis obedientiae premium, non sequitur obsequitis facultas. Alioquin, cum vitam æternam & omnia bona promittat Deus legi obtemperantibus, sequetur hominem posse totam eam seruare posse, & per se proprijs viribus iustum coram Deo existere. Qui fecerit ea, inquit Lex viuet in eis. At nemo eo insanæ nunc audet descendere. Ex quo concluditur non statim in nostro esse arbitrio conditionem, quam Deus attexit bonis quæ nobis offert. Quod vero colligitur, si non est in nostra potestate conditio, quam Deus appendit promissioni, ergo nostram impotentiam misere subsannat, viciosa plane consequentia est, Falsissima calumnia verissimam causam obscurans. Huiusmodi enim promissiones hoc potius consilio proponuntur, ut homines intelligent quam iuste priuentur obedientiæ premijs, quia videlicet Deo non praestent obsequium, quodq; impij merito à beneficijs disuinis excludantur. Deinde legalem verborum formam retinet Deus in increpatione hominum, ut doceat se homini indicasse parendi facultatem.

Ad hæc quemadmodum præceptis: ita & promissionibus excitat corda, & voluntates, ut incipiunt expetere salutem, eiusq; desiderio adfici. Non quod hic adfessus ex ipsa possit surgere voluntate, sed quod simul per promissionem operante spiritu accendatur. Hoc solum igitur agitur in huiusmodi promissionibus, quibus ista conditio obedientiae est annexa, Frustra scilicet sperari felicitatem, & salutem, in seculorum securitate: sed opus esse ut prius conuertantur homines, desinant male facere, & obtemperent Deo vero cultu; ac deinde omnis generis bona à Deo

expectent. Vnde vero nascatur hæc noua voluntas, & vera conuersio non hoc loco, sed alibi docetur, videlicet, Postquam conuertisti me Domine egi poenitentiam. Iesu : 29. Et audient surdi verba libri in die illa, & de tenebris & caligine oculi cœcorum videbunt, &c. Modo non confundetur Iacob : sed cum viderit filios suos opera manuum mearum sanctificantes nomen meum, sanctifi- cabunt sanctum Iacob : 48. Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas. In his dictis, cuius generis infinita sunt, explicatur vnde sit hoc minis conuersio : Illæ vero promissiones hoc solum docent, merito carere Dei beneficijs, qui contumaciter eius verbo oblitantur. Qui vero obsequuntur Deo, omnis generis foelicitate & salute à Deo remunerari.

At vrgent Synergiae adsertores, quod dicitur, Si volueris, vnde purant consequens esse, quod voluntas sit libera. Sed respondendum, Deus alloquitur hominis voluntatem, etiam in hac prauitate & seruitute, eo iure, quo eam condidit. Creauit autem liberam et sui arbitrij. Quare nunc quoq; eam alloquitur, perinde ac si libera & sua potestatis esset, non vt ei insultet, sed potius vt ad humiliem confessionem doni amissi adigat, & ad studium implorandi diuinam gratiam extimulet. Creditor cum appellat debitorem de solutione, non tam quid ille praestare possit, quam quid sibi debeatur considerat: praesertim si in iudicio cum eo agat. Ut autem hic diuersissima sunt debitum & facultas: Ita ex eo quod optimo iure nostram appellat voluntatem Deus, vt ei obtemperet, non conficitur hanc libertatem in nobis sitam esse. Mirum est itaq; adeo in hunc locum tam præclaros scriptores impe- gisse.

gisse. Omnes enim fere scriptores Ecclesiastici Clemens,  
Origenes, Basilus, Epiphanius, Cyprianus, Chrysostomus & coeteri pene omnes, ex hoc loco libertatem humanæ voluntatis adserere sunt conati, in quo valde sunt hallucinati.

#### III. ARGUMENTVM.

Cui obijcitur nolle, ei in promptu fuisse velle ostenditur: At infinita sunt loca scripturæ, in quibus obijcitur hominibus, quod noluerunt admittere gratiam & salutem oblatam, Matth: 23. Quoties volui congregare filios vestros & noluitis. Iesa: Tota die expando manus meas ad populum contradicentem mihi. Num: 14. Amalech & Cananeus ante vos sunt, quorum gladio corrueritis, eo quod nolueritis acquiescere Domino. Ierem: 32. Quia indurastis cor vestrum & noluitis obedire Dominum. Hæc omnia mala euenerunt vobis. Act: 7. Vos semper obstitistis Spiritui sancto, &c. Ergo velle fuit in ipsorum potestate.

Respon: Primum argumenti membrum vicius sum & falsum est. Non enim qui bonum potest auersari, statim & libera voluntate potest velle. Quid tam proclive homini carnis, quam aspernari salutem & regnum Christi? An ideo mox poterit & adipetere & velle eadem? Quin potius sic rectius infertur, Homo à natura vult malum: Ergo bonum velle à natura non potest. Directe siquidem hæc pugnant. Diabolus non vult veritatem, sed mendacium: an hinc colligemus, eundem posse inclinare voluntatem ad amorem veritatis. Fatus itaque hominem nolle salutem, ex se se, obsistere regno Christi.

Christi ex natura vitio corrupta, & sibi ipsi esse interitus sui causam. Sed hinc nulla consequentia sequitur. Ergo homo & iustitiam potest velle, & sibi causa esse vietæ. Quius homo vitam sibi eripere potest, nemo autem eandem sibi vel dare vel prorogare potest. Turbare Ecclesiam cuiusvis est, vel etiam stolidi hominis. Turbatam sedare nemo potest, nisi unigenitus Dei filius. Ex nobis ergo perditio est, in Deo autem salus nostra. Osee 13. Ad dictum quidem: Quoties volui vos congregare, non eo sensu est accipiendum, quasi Dei voluntas hominum contumacia sit impedita: sed multo magis, quod Deus voluntatem & consilium suum in collectione filiorum Ierusalem semper impleuerit, etiam inuita & reluctantे Ierusalem. Illa enim necauit Prophetas: At Dominus nihilominus collegit & seruauit & propagauit ibidem Ecclesiam suo verbo. Quod vero ihs qui nihil aliud quam aspernari salutem ex se se possunt, id ipsum tamen exprobatur atque obijicitur, absurdum non est, tum quod contumaciae causa in ihs est sita: tum quod aliter hominum natura sit a Deo condita. Qui igitur instituerat voluntatem, ut iustitiam amplecti, & praceptis obsequi posset, is merito exprobat hanc prauitatem, qua ipsius sapientia & regno resistitur.

V. ARGUMENTVM.

Deut: 30. Mandatum hoc quod præcipio tibi hodie non est occultum, neq; procul positum, neq; in cœlo situm, sed prope est in ore tuo, & in corde tuo ut facias illud. Ergo est in libero hominis arbitrio & potestate situm, ut obediat Dei verbo, vel contumaciter recalcitrat. Respon;

Respon: Primum hic attendendum est, vocem  
hanc non esse legis concionem, sed Euangelij promissio-  
nem, quæ non de iustitia operum sed fidei, nos edoceat.  
Quemadmodum Paulus Roma: 10. interpretatur. Nihil  
ergo ad nostras vires commendandas, sed ad ostenden-  
dam potius Dei gratiam & misericordiam pertinet. Hæc  
enim est iustitia Euangelij seu fidei, quæ statuit nos gra-  
tis, absq; nostro opere sola Dei misericordia iustificari, &  
in gratiam recipi. Quod si enim Moïses de legis imple-  
tione hæc verba accipi voluisse, quid aliud quam inani-  
confidentia populum inflasset & sua doctrinæ de pra-  
uitate humani cordis contradixisset? Sed inquis, Si Euan-  
gelij promissio adeo iuxta nos posita est, ut eam facile  
amplecti possimus: ergo aliqua saltem libertas est volun-  
tatis accipiendo doctrinam & credendi Euangelio. Refe-  
pon: Non hoc vult Moïses, In hominis potestate & elec-  
tione situm esse credere doctrinæ Christi, de hac facultas  
te non agit hoc loco, sed capite præcedenti, vbi inquit:  
Nondum dedit vobis Dominus oculos ad videndum,  
neq; aures ad audiendum, neq; cor vt intelligatis. Hic vero  
de perspicuitate & puritate, & certitudine doctrinæ in  
Ecclesia reuelatæ tractat, ac hypocritarum & curiosorum  
mores praetextus refellit, qui cauillari solent, quis scit an  
hæc sit vera voluntas Dei: quis adscendit in cœlum, quis  
cum Christo locutus est, quis vidit inferos: Vnde possus-  
mus certi esse, quod hæc doctrina sit æterna Dei volun-  
tas? His inquit ipsa doctrinæ perspicuitas, puritas atq;  
maiestas respondet, ac sibi ipsi dat testimonium, quod sit  
vera. Cum enim homines audiunt doctrinam de immens-  
a Dei misericordia, de missō filio vnigenito, de morte &  
resurrectione Christi, de iustificatione peccatoris per fia-  
dem

dem absq; operibus, de resurrectione mortuorum, de vita  
eterna : ipsa quodam modo conscientia nostra sentit  
hanc esse admirandam & diuinam doctrinam, quae super-  
ret omnem humani ingenij cogitationem & sapientiam.  
Atq; ideo necesse non est ut quaeramur, secretam Dei  
voluntatem non posse de cœlo adferri : nec posse peti ex  
longinquis terris : sed prope est verbum in ore tuo, & in  
corde tuo, inquit : Si modo vere credas verbo, idq; confi-  
tearis, habes apud te ipsum luculentum testimonium, quæ  
sit vera Dei & indubia voluntas. De certitudine fidei  
ergo & doctrinæ perspicuitate, non de facultate liberi  
arbitrij, hic agit Moïses. Et quidem ijs loquitur, quibus  
iam verbum in ore & corde erat, id est, qui pro fidelibus  
haberi volebant, & doctrinam patrum profitebantur.  
Ideoq; Paulus dicit his verbis iustitiam fidei describi.  
Adeoq; nihil prorsus ad liberi arbitrij defensionem hic  
locus facit.

#### VI. ARGUMENTVM.

Lucæ II. Quanto magis pater vester dabit Spiritum  
sanctum pententibus : Non ait repugnantibus, no-  
lentis, resistentibus : sed pententibus. Ergo aliqua est vis  
liberi arbitrij, qui petere possit sui conuersionem.

Respon: Promissio Christi non conuertendos &  
a Deo adhuc alienos, sed iam renatos, & spiritu Dei im-  
butos alloquitur : Atq; ijs qui serio Deum in spiritu &  
veritate inuocant pollicetur donorum incrementa, ga-  
bernationem in vita, consilium, robur animi, auxilium, &  
felicem successum in vocatione per Spiritum sanctum :  
Impossibile est enim ut conuersi ad Deum, & renati, in  
tantis

tantis periculis, odijis mundi, & innumeris impedimentis,  
vel persistant in fide, vel salutaria in vocatione gerant,  
nisi perpetuo iuuentur, & fulciantur diuino spiritu. Vult  
ergo Christus omnes fideles perpetuo insistere precatio-  
ni, & absq; intermissione veris gemitibus obtundere Dei  
aures, & promittit non fore irrita nostra vota ex fide ef-  
fusa. At longe alia quæstio est, qua vi conuertatur homo  
& regeneretur, vt inuocare & ad Deum suspirare possit.  
Magnæ enim inscitiae esset, homini nondum renato, ca-  
renti noua luce & fide, veram tribuere inuocationem:  
quomodo inuocabunt, inquit Paulus in quem non cre-  
dunt. Ergo necesse est Christi verba de cōuersis, et ihs qui-  
bus iam donata sunt fidei, & nouæ vitæ initia accipi.

## VII. ARGUMENTVM.

Acto: 5. Nos sumus horum verborum testes, &  
Spiritus sanctus, quem dedit Deus obedientibus ipsi. Est  
ergo aliqua vis libera voluntatis, qua ex se se obedire  
possit, vt Spíritum accipiat.

Respon: Petrus non de prima conuersione homi-  
nis, de qua in hoc libro agimus, sed de externa & visibili  
exhibitione Spiritus sancti loquitur. Spiritus sanctus qui  
visibili specie datus est obedientibus, id est, credentibus  
verbo, testis est de Iesu crucifixo, quod sit constitutus  
princeps & salvator. Ex hoc itaq; nihil amplius potest  
colligi, quam admirandum illud donum visibiliter exhibi-  
biti spiritus non contigisse impoenitentibus, obduratis,  
refractarijs & contumacibus Iudeis, sed ihs, qui per poenit-  
tentiam ad Deum sunt conuersi, et fide Euangelion Chri-

st̄i s̄unt amplexati. Vnde autem illa extiterit poenitentia  
in obedientibus, quae vis fidem in illis accenderit alia est  
questio, & ex eadem Petri concione sciri potest. Ut das-  
ret inquit Deus, poenitentiam Israel & remissionem pec-  
catorum. Item, Auferam ex eis cor lapideum, & dabo il-  
lis cor carneum. Quod si quis pertinacius contendat, Pe-  
trum de communi donatione Spiritus sancti agere: nihil  
hoc libero arbitrio patrocinabitur: Quotidie enim De-  
us in suos fideles & verbo obtemperantes Spiritum suum  
sanctum effundit. Nec putamus quenquam eo demen-  
tiæ abruptum iri, vt somniet hominem, ante regeneratio-  
nem & insitionem fidei, virtute liberæ voluntate, atq; ex-  
sese Deo obedire posse. Reclamat enim Paulus: Sensus  
carnis est inimicitia aduersus Deum: Legi enim Dei non  
subiicitur ac ne potest quidem.

Quod vero obiicitur, non dari spiritum oblectan-  
tibus & renitentibus, ita accipiendum est. Quamdiu  
homines obliidunt spiritui, & respiciunt verbum, cer-  
tum est eos non conuerti, vel spiritum in ijs efficacem  
esse. Neq; contumaces ullius boni participationem  
sibi ex promissione vindicare possunt, quamdiu fu-  
renter reluctantur: Quod vero etiam oblectantium  
voluntates ad se conuertat Deus, & ex hostibus, sibi  
addictos, ex furentibus sanos, ex renitentibus faciat vo-  
lentes, nemo nisi gratiæ Dei ingratus, & suo nimi-  
um confidens merito inficiari potest. Omnes enim  
natura hostes Dei sumus, donec nouis affectus pectoris  
bus nostris instillatur. Atq; adeo nemo ad Deum con-  
uertitur, nisi cuius aduersaria & dura voluntas à Deo im-  
mutatur, atq; ad poenitentiam emollitur.

VIII. Ar-

VIII. ARGUMENTVM.

Apocalyp: 3. Ecce sto ante ostium & pulso;  
Si quis audierit vocem meam, & fores mihi aperuer-  
tur, ingrediar ad eum & caenabo cum eo, & ipse mecum.  
Est ergo in potestate hominis, ut sua libertate aperiat cor  
spiritui sancto.

Respond: Ex mandato iubentis, viciose in-  
fertur obtemperantis facultas. Alioquin eadem con-  
sequentia colligitur: Esse in hominis potestate situm,  
ut vniuersam legem obseruet: Siquidem mandauit  
Deus ut diligamus eum ex toto corde & omnibus  
viribus. Si autem haec non consistunt, nec illa con-  
clusio firma erit. Ac mirum est hoc modo arguta-  
ri Synergiae adsertores: An enim sentiunt hominem  
suis viribus, & libertate clausos oculos suæ mentis,  
& obstructas aures cordis sui ad audiendum & per-  
cipiendum Dei verbum sibi ipsi aperire posse? Quid  
magis aduersum toti sacræ scripturæ, quæ testatur ho-  
minem esse peccati mancipium, & mortuum in de-  
lictis.

Quid erat opus tanto verborum strepitu promit-  
tere per Christum coecis apertum iri oculos, surdis do-  
nandum auditum, & fatuos sapientia imbuendos: Si  
haec vis in homine residet, vt ipse sponte sua ad excipi-  
endum spiritum ostium mentis patefacere potest?  
At scriptura passim testatur, diuinum esse hoc mune-  
ris: Ut de Lydia adfirmat Lucas, quod Dominus il-  
li cor aperuerit. Et Moïses inquit: Nondum vobis

dedit Dominus oculos ad videndum; aures ad audiendū; & cor ad intelligendum. Et hoc ipso loco dicitur: Ego claudio & nemo aperit, Ego aperio & nemo claudit. Vtrumque ergo facit: Et mandat ut ei pulsanti aperiāmus, ut nobis ostendat quid ex obligatione debeamus: quid contumacia mereamur, qua facultate destituamur, & quo auxilio egeamus. Et ipse quod mandat efficit in nobis: ut omnem superbiae radicem in nobis excindat, & clementiae suae riuos vberiore copia in nos effundat. Pie ergo Augustinus: Da quod iubes, & iube quod vis: Non incommode locus etiam accipitur de ipsis, qui initia conuersionis habent, & minus seruenti studio, pictati aedificarent. Inquit enim quos diligo, hos arguo & castigo, emulare ergo & pœnitentiam age, qua adhortatione resonatos quidem sed tepidius in pietate viventes extimulare ntitur, ut vero zelo veritatis ardeant, & in pœnitentia adsidua crescant. Hi ergo conuersi & habentes fidei initia, vel reliquias quasdam renascientiae, quodammodo aperiunt ianuam Deo, cum auxilio Spiritus sancti, cum seipso verbo excitant, ut firmius veritati adsentiantur, alacrius pietatem exerceant, & seruentiore zelo gloriam Christi amplificant. Quod si vero intelligitur dictum, de prima cordis apertione, ut fides in conuersione plantetur, nihil est amentius quam hoc diuinum opus adamantino & lapideo cordi adscribere.

#### IX. ARGUMENTVM,

Roma: 9. Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei: Ergo est aliqua voluntas & aliquis cursus in nobis.

Respon:

Respon: Nihil fortius oppugnat ementitam hominis Synergiam, quam hoc Pauli testimonium & tam in eo praesidium querunt aduersarij. Quid enim aliud vult Paulus tota illa disputatione, quam salutem & conuersionem hominis non pendere ab ylliis hominis voluntate vel cursu, vel nisu; sed a sola misericordia Dei liberima & gratuita electione: Sic enim concludit. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult inducat. Quo dicto nihil severius neque vehementius aduersus Synergiae figuram dici potest. Mirum igitur hunc locum produci ab aduersarijs. Nam audacter sane contorquet hunc locum Nazianzenus. De suo enim adsuit vocem. Non (Tantum) inquit volentis est, neque currentis (Tantum) sed & misericordia Dei. Ergo ut Augustinus colligit, posset eadem ratione dici: Non tantum misericordia, sed & voluntatis & currentis erit.

At Paulus hoc agit, ut totum adimat hominis voluntati & cursui, & soli misericordiae Dei totum opus salvatoris nostrae adscribat. Ergo quod dicit: Non est volentis, neque currentis, hunc sensum habet, Salus hominum non pendet ab ylliis hominis vel voluntate, vel conatu, vel electione, vel cursu: sed tantum ab electione & misericordia Dei gratuita, absque omni respectu meritorum humanorum. At inquisiunt, Paulus fatetur esse aliquam voluntatem & cursum in homine. Respon: Est omnino, sed in impiis voluntas est peruersa, cursus praeposterus, & conatus iniustus: Currebant Pharisei, sed praepostero studio & deordinata voluntate, neque id quidquam eis ad salutem profuit. Gentes vero non quarebant iustitiam, & ipsi insperato salus adfulsit. Fatemur & in cons-

uersis seu renatis esse voluntatem & cursum: Verum hęc  
sancta voluntas, & cursus salutaris, non ex libero arbitrio  
natus, sed per gratiam est insitus. Deus est enim qui  
operator in nobis & velle & perficere pro bona sua vo-  
luntate. Idem igitur est quod dixit Paulus: Non est  
volentis, neq; currentis: ac si dixit, In nullo homi-  
ne est voluntas bona, aut rectus cursus ad salutem: nisi  
a clementissime Dei misericordia, & voluntas præpa-  
retur, & cursus dirigatur.

#### X. ARGUMENTVM.

Iohan: 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri! Er-  
go in libero hominis arbitrio est positum ut sua potesta-  
te fiant filii Dei.

Respon: Hic locus murius aheneus est aduersus  
patronos Synergia: ideoq; non sine insigni impudentia  
ab illis producitur. Quid enim validius proferri potest,  
ad deiiciendum, proterendum, & funditus delendum lie-  
berum arbitrium, quam quod statim subnectitur. Qui  
non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, nec ex  
voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. Omnia enim raz-  
tionalis figura, & vniuersam cogitationem de vi liberi  
arbitrij in spiritualibus rebus hic plane excludit. Non ex  
sanguinibus, id est, non ex carnali propagatione nascun-  
tur filii Dei. Salomon non est idcirco filius Dei, quia ex  
sancto patre dicit originem: Iudæi non sunt Eccle-  
sia Dei, quia sunt Abraham semen. Non ex volun-  
tate carnis, id est, non ex vi liberi arbitrij: Carnem  
enim appellat Iohannes totam hominis naturam, quas  
tenus

tenuis non est regenita spiritu, ac diserte hic excludit voluntatem, id est studium, conatum, contentionem, imitationem, & vniuersam vim animæ carnalis. Omnibus enim ætatibus finixerunt homines, in suo positum esse arbitrio, ut sancte viuant, & sint socij vitæ æternæ. Ratio quamvis talpa sit cœcior tamen sibi persuadet, se probare ea videre, quæ ad æternam beatitudinem consequentiam pertinent: Voluntas licet sit vinculo peccati impedita, tamen superba præsumptione conatur Dei implere voluntatem, & cœlestia promereri bona. Atq; hoc erore dementati homines beneficia mediatoris aspernantur. Refellit igitur hæc somnia & mendacia Iohannes: & docet filios Dei non nasci ex voluntate carnis, id est, ex libero hominis arbitrio, propria vi mentis, & voluntatis προαιρέσει.

Addit vero & tertium gradum: Neq; inquit ex voluntate viri: Non dubium est, quin virum nominet Hæbraica consuetudine, hominem excellentem in genio, sapientia, moderatione, & robore animi instrutum heroicis animi motibus, qualis fuit Abraham, Jacob, Moses, Phineas, Samuel, David, Samson, quales apud Ethnicos fuerunt Hercules, Perseus, Aristides, Conon, Themistocles, Palamedes, Alexander magnus, qui pecuniaribus donis ac plane admirandis motibus cordis, antea alios diuinitus ornati fuerunt.

Horum tamen virorum seu hæroum voluntate, id est studio, industria, conatu, non nascuntur filii Dei. Non ideo Moises est hæres vitæ, quia coeteris hominibus sapientior & animosior est. Samson non prope

propterea est filius Dei, quia ingenti robore corporis, &  
magna animi fortitudine est praeditus. Quemadmodum  
nec Hercules ob robur, nec Themistocles ob ingenium,  
nec Atticus ob moderatam naturam in filios Dei sunt  
cooptati, etiamsi hi heroes sine adflatu diuino non extin-  
terunt. Ex Deo autem nascuntur filii Dei ut Iohannes  
testatur. Id est, solus Spiritus sanctus homines regenerat,  
ut vita æternæ consortio perfruantur. Cum igitur Euan-  
gelista in hoc loco omnes rimulas obtruxerit Synergiam,  
mirum est sane ab aduersarijs hoc testimonium proferri.  
Quod vero ad verba Iohannis attinet, nihil ea obscuritas  
tis habent. Non enim de liberi arbitrij aliqua potestate  
loquitur Iohannes, sed de credentium & renatorum glo-  
ria: quod videlicet conuersi ad Deum & fiducia ample-  
ctentes mediatorem, non solum remissionem peccato-  
rum accipiant, verum etiam in filios Dei adoptentur:  
Amplitudinem enim beneficiorum Christi commendare  
voluit, non arbitrij humani vires, quæ nullæ sunt extor-  
lere: quin potius proterit atq; conculcat eas oratione se-  
quente. Si quis contentiosus vrgeat, vocabulum (pote-  
statis) & hinc conetur elicere existere in homine aliquam  
facultatem spiritualem, eius sophisma facile retunditur.  
Quia Iohannes inquit: Dedit eis potestatem: Aut igitur  
in prima creatione acceperunt, & à natura secum ad-  
ferunt, aut per Spiritum sanctum eis est instillata. Si in  
creatione hæc potestas est data, & mansit post Adæ præ-  
varicationem, ergo in singulis erit: At Iohannes docet,  
Credentibus solum hanc datam potestatem: Ergo non à  
natura est, sed à spiritu. Quod si à spiritu est, non erit à li-  
bero hominis arbitrio. Hac ratione & August: lib: i.  
ad Bonifa: respondet. Datur ergo potestas ut filii Dei  
fiant.

fiant, cum hoc ipsum datur, ut credant in eum. Quæ potestas nisi detur à Deo, nulla potest esse ex libero arbitrio,

XI. ARGUMENTVM.

Medium quo primum accipitur sp̄iritus, non potest esse donum & effectus sp̄iritus.

Fides est medium, quo primum accipitur sp̄iritus,  
Gal : 3. Vt promissionem sp̄iritus accipiamus per fidem.  
Ephe : 1.

Ergo fides non potest esse donum & effectus  
sp̄iritus.

Respon : Neganda est maior. Nihil enim impedit, quo minus medium quo sp̄iritus intra nos accipitur, sit simul donum & effectus eius. Cum enim Spiritus sanctus sit conditor omnipotens, etiam cum nondum cor da hominum inhabitat in eis operari, lucem fidei accendere, & voluntatem ad se alicere potest. Vtracq; ergo sententia firmiter est retinenda, vt quæ euidentibus verbis diuini testimonij nititur : Tum quod fides sit solius Dei donum : Tum quod sp̄iritus fide accipiatur. Illud licet ex Pauli dictis. Ephe : 2. Gratia saluati estis, per fidem, idq; non ex vobis Dei donum est. Phil : 2. Vobis datum est, vt non solum creditis : sed etiam pro Christo partamini. Corint : 7. Misericordiam consecutus sum, vt fidem effem. Heb : 12. Respicientes in ducem & consummatorem nostræ fidei Iesum. 1. Corinth : 12. Alteri donatur fides in eodem spiritu. Deinde & altera sententia est versus, quod Spiritus sanctus non accipiatur nisi fide, iuxta illud Pauli. Vt promissionē sp̄iritus accipiamus per fidem.

fidem. Hæc vero nihil inter se pugnant: Nam alia est Spiritus sancti operatio, cum foris pulsat cor, & ipse sibi ostium aperit, illustrat mentem, ut Dei iram & misericordiam aspiciat, & tangit cor, ut vere doleat, & rursus adprehendat consolationem. Alia vero eiudem spiritus operatio est ubi iam habitat in iustificatione homine: Et est pignus seu arrabo obsignans fidem, & de claritate in claritatem mentem & voluntatem transformans. Illa operatio tractio patris distinet illud Augustini Epistola 105. ad Sextum: Spiritus sanctus aliter adiuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans: Nam nondum inhabitans adiuuat ut sint fideles: inhabitans adiuuat iam fideles. Non igitur misericordiae sunt hæc duæ diuersæ operationes.

Ac agere sane Spiritum sanctum in corda & animas non credentium, nemo negare potest, nisi qui vel ignorat, vel non credit, tot furentes, & blasphemos veritatis persecutores ad Deum esse conuersos. Spiritus sane ubi vult spirat, id est, Trahit & conuertit, quos cunq[ue] libitum fuerit. Cum vero per fidem accipitur: iam non accedit primum fidem, sed accensam nouo beneficio obsignat, & seipso quasi obside dato stabilit: Si consideret hoc argumentum aduersariorum, iam non pusilla aliqua libertas inde adstrueretur, sed necesse esset largiri. Fidem non esse donum, sed tantum liberæ voluntatis opus. Hoc si Synergistæ verentur adserere, pudeat eos isto modo argumentari.

XII. ARGUMENTVM.

Eccles

Ecclesi : 15. Deus reliquit hominem in manu consilij sui. Ergo in homine est liberum arbitrium.

Respon : Accipiendum est hoc dictum de integra hominis natura, qualis fuit ante Adæ lapsum : In hac de prauatione & miseria, nequaquam congruit hic gloriosus titulus homini. Cum enim simus natura filii iræ & venundati sub peccatum, non sunt in manu nostra salutaria consilia, quibus nostra sponte ad vitam æternam perueniamus.

### XIII. ARGUMENTVM.

2. Timoth : 2. Si quis expurgauerit semetipsum ab istis erit vas in honorem sanctificatum, & accommodatum vobis Domini. Ergo est aliqua Synergia, qua homo sui purgationem potest adiuuare.

Respon : Non loquitur Paulus de purgatione, quæ sit in conuersione, vbi homo non proprijs viribus, sed dono Dei abluitur à peccatis, purgatur à morte, & sanctificatur per Spiritum sanctum : Sed de ea purgatione agit, quæ sit vitatione hæreticorum & impiorum hominum, qui falsa sua doctrina, & impuris sceleribus coinquant eos, cum quibus versantur. Sicuti alibi inquit : Parum fermenti totam inficit massam. Et passim hortatur ut præstigiatores & depravatores doctrinæ studiose vitentur, quid vero hoc facit ad facultatem liberi arbitrij ? Illa enim præcepta de hæreticis, & impiorum Synagoga vitanda, dantur non conuertendis, sed iam per spiritu zonatis, & per fidem à peccato purgatis, quos monet spiritus ut in innocentia laudent manus tuas, et ne sede-

cum viris vanis, nec communicent alienis peccatis. Huc respexit Paulum cum ipsa phrasis, tum tota oratio eius demonstrat. Cum ergo fateamur esse in liberatis per Christum & sanctificatis, nouam quandam libertatem, qua fideles & possint & debeant ~~conversari~~ Spiritui sancto, neque Paulus agat de alijs, quam qui vita sunt membra Ecclesiae, facile intelligit Lector, quam sit fruolum hoc cauillum. Ad primam hominis purgationem, quae fit in conuersione, referri non potest, nisi quis totum Pelagianismum ab inferis reuocare, & vniuersam Christi doctrinam vna litura delere in animum induxit.

#### XIV. ARGUMENTVM.

Fides ex auditu est, Roma : 8. Ergo aliqua est Synergia voluntatis, qua posset homo ex seipso verbo adsentiri.

Respon : In hoc argumento nulla est consequentia. Nam in antecedente ostenditur modus, & instrumentum quo fides acceditur, videlicet verbo seu exteriora prædicatione Euangeli, non de vera efficiente causa dicitur. In consequente vero infertur, causam ergo fidei esse ex nobis, & ex arbitrio libertate: sunt igitur scope dilectionis. Fatendum omnino est fidem ex auditu esse, & electos conuerti non raptu Enthusistarum absque ministerio verbis: sed Deum per vocem Euangeli ad salutem esse efficacem, Roma : 1. Fatendum est quoque hominem ante regenerationem, & debere & posse audire, discere, legere, meditari verbum tam Euangeli, quam Legis. Constat externum ministerium Euangeli esse officinam Spiritus sancti, & salutem hominum adeo alligatam huic organo,

organo, ut passim pronunciet Deus se nolle eis imperti-  
ri lucem & vitam, qui prædicatione externa verbi neg-  
lecta, aliam salutis viam fuerunt perscrutati. At hic nulla  
ratione colligitur, vim quandam inesse voluntati,  
quæ conuersionem hominis promoueat, & fide crean-  
da suas agat partes.

Hoc ne tum quidem vere inde statueretur, etiamsi  
omnes quotquot verbum Dei audiunt mox ex animo  
& vera fiducia adsentirentur. Non enim ex eo, quod  
Deus per verbum illuminat corda, sequitur hominem ips-  
sum cooperari. Quin potius quia ex prædicatione nasci-  
tur fides, concluditur esse eam solius Dei opus. Quanto  
magis cum minima pars auditorum Euangelio obsequa-  
tur, ut parabola Christi de semine, & infinita testimonia  
docent : fatendum est, ex eo quod fides ex auditu est, nul-  
lam posse hominis Synergiam adstrui. Paulus ipse fate-  
tur, neq; plantationem, neq; rigationem quidquam esse,  
sed ab eo totum pendere, qui dat incrementum.

Discernantur ergo auditus, seu externa prædicatio,  
seu communis vocatio: Et interna motio, tractio & vt  
Paulus loquitur vocatio sancta. Nisi interior Magister  
spiritus sanctus atrium cordis non renati aperuerit, & ad  
Deum traxerit, nihil ei prodest, etiamsi mille annos per-  
sonenthominis aures verbo Dei: etiamsi ipsius Moysis  
& omnium Prophetarum fulminibus terreatur: etiamsi  
Apostolorum grauissimis concionibus, Christi quoq;  
modum Christus Iohan: 6. clare docet: Nemo potest ad  
me venire, nisi pater meus traxerit eum. Omnis vero qui

audit & dicit, id est, qui à Deo illuminatur, & interius audit, & accipit donum credendi, is venit ad me. Diuersissimæ res igitur sunt, externus auditus & interior tractio.

Has verissimas & ex sacra scriptura petitas responsiones, si quis attente obseruet, non erit ei difficile & similes Synergistarum cauillationes solide confutare: Itaque finem hic facio, toto pectore gratias agens aeterno patri, qui me per filium erudit, ut & misericordiam & defensionem meæ naturæ, atque etiam vita & iustitiae reparatorem agnoscerem: quicq; in hoc labore me iuvit suus spiritu. Idem mihi & toti Ecclesiæ pro sua erga nos clementia perpetuo adsit, & sanctificet nos in veritate,  
Amen.

Θεῷ τῷ μονῷ στόφῳ δοξα.

## PSALMVS XIII.

Autore Eobano Hessio.

**S**TULTUS ab humano qui iudicat omnia sensu,  
Quiq; ea dispenset non putat esse Deum.  
Sunt tamen usq; adeo stupefacto pectore cœci,  
Credere qui possint tam furiale nefas.  
Nam male consulo sic cogitat impius ausu,  
Non est quem metuas, nec sciat ista, Deus.  
Execrabilibus perierunt cladibus omnes,  
Prodiga quos miseria vita laboris habet.  
Omnipotens humiles prospexit ab æthere terras,  
Humanumq; sua uidit ab arce genua.

Ex tot

Ex tot an inueniat sapientem millibus ullum,  
Qui curet superos, & putet esse Deum.  
At retro stolidis abierunt passibus omnes,  
Pestis enim miseris omnibus una fuit.  
Non fuit ex illis quem posses dicere iustum,  
Qui bene uixisset non fuit unus homo.  
Num sapient aliquando mali qui sanguine uiuunt,  
Et populi comedunt corpus ex ossa mei?  
Quos miserorum hominum duri pauere labores,  
Ut satura ingluies nesciat ista famem.  
Dummodo quod rodant uentri non desit alendo,  
Turba creatorem negligit ista suum.  
Hic ubi non opus est trepidant, ubi nulla necesse est,  
Esse pericla anime, certa pericla timent.  
In quibus haud opus est, Domino seruire laborant,  
Vera loco cultus nil facientis habent.  
Sed fauet & iustis Deus est tutela saluq;  
Nec negat auxilium quod pia turba rogat.  
O stulti & miseri qui despexitis egenum,  
Quod soli fidat subiacetq; Deo.  
Quis genus Israel saluum dabit, atq; reducet,  
Differsus populos ad tua tempa Sion?  
Cum Deus exilium conuerterit ipse suorum,  
Leticia sicut omnia plena noua.  
Tunc genus Israel gaudebit, & ocia ducent,  
Qui de stirpe tue sunt Iacobe domini.

F I N I S.

MAGDEBVRGI,  
Ex Officina Wolfgangi Kirchneri,  
Anno 1562.

1835270

Magdalene  
Ex Officina Venerabilis Ignatii Giustiniani  
Anno 1714

21114

MAGDALENE  
Ex Officina Venerabilis Ignatii Giustiniani  
Anno 1714







